7.

DISPVTATIO IVRIDICA, DE INVESTITVRA FEUDALI,

QVAM,

DEO OPT. MAX. FORTVNANTE

SVB PRAESIDIO

Viri Amplissimi & Consultissimi,

DN. GEORGII VVERNERI

I.V.D. in illustri Iuliâ Professoris Publici, & Iudicij Provincialis Guelphici Adsessoris,

Dn. Præceptoris ac fautoris sui ætatem colendi,

Exercitij gratiâ


Publicè ventilandam proponit

ANDREAS GEORG: von Rhetem

Brunsvicensis.

IN NOVO IVLEO

Ad diem 20 Iunij



HELMAESTADI

Typis HENNINGI MVLLERI, acad. typ.

ANNO CIƆ IƆC XLIX.



Σὺν τῷ Θεῷ.

DE. INVESTITVRA FEVDALI

THESIS I.


T in omni reliquo, tam Personarum, quàm Rerum jure; ita & in feudis vel maximè tria hæc cumprimis veniunt consideranda, Acquisitio nempè, Conservatio, & Amissio.

l. ult. ff. de legibus. Quicquid enim justi vel injusti, sub quâ unâ consideratione res à ICto spectantur, in jis occurrit, id omne ad tria isthæc capita commodè revocari potest. Aut enim hoc agitur, quemadmodum quid cujusque fiat: aut quemadmodum quis rem suam, vel jus suum conservet: aut quomodo alienet vel amittat. Petr. Gregor. Tholos. *synt. jur. univ. l. 20. c. 1. n. 2.* Horum autem præcipuè habendam esse rationem in jure rerum, & quidē utrâq; ejus specie (tam sc. in jure, quod vocant, ad rem, seu obligatione, quàm etiam & potissimum in specie alterâ, jure in re) per se constat, & ICtus *d. l* disertè docet. Neq; verò diversa est ratio Juris Personarum; alia enim & ibi ratio est acquisitionis, v. gr. patriæ potestatis, alia conservationis, amissionis item alia; ut nemini dubium hoc

esse possit, nisi in primo Institutionum libro hospiti. Quod si igitur res ita se habet, & tam in Personarum, quam Rerum jure hæc tria observanda veniunt, quin & in feudo consideranda sint, dubio carebit apud eum, cui constat, feudum partem subjectivam seu speciem esse juris in re, scilicet Dominij, ceu generis sui, sive totius potestativi *argt. c. un. §. rei autem. 2. f. 8. & 2 f. 23. in f.* Vel maximè igitur & hic consideranda; injuria enim nulla alteri propriè fit, dum fortè feudi homonymiam, etymologiam, addo & synonymiam, minùs dextrè explicaveris, sed si modos adquirendi vel conservandi eos dixeris, qui tales non sunt. Est autem, ut hoc verbo saltem moneamus, acquisitio generalissimè sumta, actus, quo res, quæ tua hactenus non erat, tua fit. *arg. tit. Inst. de R. D & acquir. ear. domin.* aliàs strictiùs acquirere, est titulo lucrativo, vel ex industriâ acquirere, quomodò ex re suâ distractâ, vel permutatâ acquirens propriè non acquirit, uti neq; is, cui res citò aufferri potest. *l. 22. ff. de acquir. vel amitt. poss. gloss. in l. 4. ff. de in integr. rest.* Conservatio verò, actus est, quo rem jam tibi acquisitam, tuam vis manere *l. 72. ff. de procur.* Amissio tandem actus, quo, quod tuum erat, tuum esse desinit. *arg. l. 29. l. 34. pr. ff. d. acquir. vel amitt. poss. l. non videntur 83. ff. d. R. I. l. 1. §. 1. quib. mod. ususfr. amitt.* Nos de his neque in actu signato, sed exercito, & sc. quatenus etiam in feudo conspicua sese reddunt, neq; tamen de omnibus, sed de modo tantum acquirendi, quin imò, neque de hoc in universum, sed de feudi solummodò constitutione, hâc quidem vice acturi sumus.

II.

In acquisitione Feudi consideranda veniunt 1. Personæ 2. Res & 3. Modus.

Nulla

Nulla enim per naturam rerum dari poterit, vel fingi ſaltem per intellectus tui operationem, acquiſitio (quæ actus tranſiens eſt), niſi ſit ſubjectum quod acquirat, hoc autem perſona eſt; & res, circa quam, ceu objectum, motus ille occupatus ſit. Iam ſi perſona datur, quæ acquirit, & res, cujus fit acquiſitio, neceſſe eſt ſuam habeat actio illa formam, quam in præſentiarum rectè ipſum vocaverimus modum.

III.

Modus in acquiſitione feudi conſiderandus, alius eſt promittendi, alius conſtituendi, acquirendi alius.

Modi vocabulum aliâs ambiguum, hic ſumitur pro medio, quo feudum vel promittitur, vel conſtituitur, vel acquiritur. Neq; verò inſolens cui videri debet, quòd actum feudi acquirendi dividamus in modos tres, cujus ſpecies iterum ſit acquiſito; aliter enim atq; aliter ea ſumi ſolet, & (1) quidem latiùs, (cùm in acquiſitione conſiderandã dicimus perſonas, res, & modum, cujus ſpecies iterum ſit promiſſio, conſtitutio, & acquiſitio in ſpecie ſic dicta,) pro omni ſcil: actu, quo res nô tua, tua fieri incipit, ſive plene & actu jus in re conſequaris, ſive ſaltèm minus plenè, & fortè jus ad rem, ita ut perſona intuitu rei illius tibi ſit devincta, ut *in l. 23. §. ult. ff. de S. V. P. l. 15. ff. de R. I. l. 143. ff. de V. S.* quamquam enim noſtrum non eſt, quod non poſſumus vindicare, *arg. l. 23. ff. de R. vendic. l. 27. §. 2. ff. de auro & arg. leg.* tamen & hoc acquiſitum quodammodo nobis dicitur, de quo habemus actionem in perſonam, & perveniſſe quod licet exigere *l. 64. §. 6. ff. ſoluto matrim.* Petr. Gudel. *in ſyntagm. Reg. Iur. c. 18. n. 2.* (2) verò cùm in modo acquirendi iterum venire conſiderandam dici-

mus acquisitionem, strictiùs longè sumitur, pro universi scilicet illius actus perfectione ultimâ, quâ vel promissio, quæ præcesśit, vel constitutio ultimò terminatur, atque ita totus acquirendi juris alicujus actus plenissimè absolvitur. Simile quid omninò cernere est in voce Institutionis, quâ Ius Canonicum in beneficiorum Ecclesiasticorum collatione utitur. *rubr. & c. 2. 4. 5. & 6. x. de instit.* nam & ipsa aliquando largiori sensu omnem actum & verbalis collationis, & investituræ seu confirmationis, & in possessionem inductionis notat. *c. 1. de R. I. in 6.* ubi Dyn. *n. 15.* aliquando verò strictiùs, confirmationem tantùm episcopi designat, *c. cum ex iniuncto 12. in f. x. de heret. Vid. gl. in c. 4. verb. instituatur x. de instit.* Tholosan. *l. 17. cap. 4. n. 22. & 23.* Differunt autem hi tres actus naturâ suâ & conceptibus formalibus, utut aliquando eos coincidere tempore videas. Sic in servitutibus realibus promissio, purè scilicet facta, & constitutio, quamvis naturâ suâ distinctæ sint, tempore tamen coincidunt *arg. l. 1. §. fin. ff. de S. P. R. l. 15. in fin. l. ult. ff. d. servit. l. 3. §. 2. ff. de Act. Empt.* in servitutibus autem personalibus contra se res habet; in illis namque naturâ & tempore distinctæ quidem sunt promissio & constitutio; constitutio verò & acquisitio, quamvis & ipsæ naturâ à se invicem distinguantur, tamen actu ipso & tempore concurrunt; quamprimùm enim ex. gr. ususfructus est constitutus, statim quoque intelligitur acquisitus *l. 3. pr. ff. de usufr. l. 1. ff. quando dies ususfr. leg. ced.* Requiritur enim in harum constitutione factum, seu datio constituentis; at realium constitutio in patiendo, vel non faciendo consistit. *l. 1. §. 2. ff. de servit. rust. prad.* In feudis itidem actus hi distincti suâ naturâ semper sunt, temporis tamen ratione aliquando duo posteriores coincidunt; licet non raro etiam à

se in-

ſe invicem diſtent. Promiſſio, uti naturâ, ita plerumque tempore etiam, à conſtitutione & acquiſitione feudi diſtincta manet. Conſtitutio verò & acquiſitio feudi in propriâ inveſtiturâ tempore concurrunt, in abuſivâ verò longè nimis differunt. Atque hoc ipſum eſt, quod Alvarottus *in 2. f. 2. n. 1. in fin.* ait: tria tempora conſideranda eſſe, feudi nimirum conceſſionem, ipſam inveſtituram ſubſequentem, & denique inductionem in poſſeſſionem. Simile quid in heredis inſtitutione, & beneficiorum etiam Eccleſiaſticorum collatione, jam ante hunc obſervavit Dynus Muxellan. *in d. c. beneficium 1. d. R. I. in 6. n. 13. 14. 15. & 17.* Prout autem actus hi diſtincti ſunt, ita diſtinctæ etiam ex illis oriuntur actiones. Vnde diſcrimen eorum, quod tamen plerique interpretes neglexerunt, probè obſervandum eſt, ut actionem competentem eo rectius inveſtigare poſſimus. Quâ de re infra, ubi de inveſtituræ effectu agitur, denuò, & plenius erit monendum.

IV.

Promiſſio feudi vel fit inter vivos, vel in ultimâ aliquâ voluntate.

arg. §. ſi quis 4. Inſt. de ſerv. ruſt. & urb. præd. §. 1. verſ. fine. Inſt. de uſufruct. nam & hoc cum alijs juris in re ſpeciebus feudum habet commune. Quæ inter vivos fit, nihil aliud eſt, quàm de feudo per inveſtituram alicui conſtituendo, facta conventio; dicitur noſtratibus ein Geding oder Anwartung auff ein Lehn / vulgo: ein Expectantz. Et ſive de re allodiali, ſive feudali, eâque tàm certâ (vocatur ein benandtlich geding) quàm incertâ (ein Irrlehn) fieri debeat; contractum, eumq; vel oneroſum, ut emtionem, permutationem; vel non oneroſum, ut ſtipulationem &c. aut ſaltem pactum, e. g. donationem intervenire

neceſſe

necesse est *d. §. 1. Inst. de usufr.* Et in universum promissio illa vel fit purè, vel in diem, vel sub conditione *§. 2. Inst. de Verb. Obl. l. 10. ff. de. V. S.* Priori modo, dies statim & cessit & venit. *l. 213. ff. de V. S.* i. e. & debetur, & peti feudum purè promissum potest *l. 41, §. 1. l. 56. §. 4. l. 118. §. 1. ff. de V. O. l. 14. ff. de R. I.* Si in diem; etsi dies cesserit, id est, jam tum feudum debeatur *d. l. 213. ff. de V. S. l. 34. §. 16. l. 46. ff. de V. O.* nondū tamen venit, ut ante ejus existentiam exigere queas *l. 9. in fin. pr. ff. d. reb. cred. l. 24. ff. de oper. libert. l. 7. §. 14. ff. quib. ex caus. in poss. eat. d. l. 213. d. V. S. l. 44. §. 1. ff. d. O. & A.* Sæpè enim fit, ut licet in aliquo radicata jam sit obligatio, alter tamen jus exigendi non habeat. Sub conditione verò factâ promissione, spes tantùm est, debitum iri feudum, quando scil. conditio extiterit. *§. 4. Instit. de V. O. l. 16. pr. ff. de condict. indeb. l. 26. ff. de condit. Institu. d. l. 213. ff. d. V. S.* Vtut verò promissio hæc feudi jus in re non conferat, sicuti neque investitura abusiva confert, ab hâc tamen formaliter differt, uti infra suo loco pluribus dicetur.

V.

Modus feudum constituendi unicus est, Investitura.

1. f. 25. Feudistæ communiter alios plures superaddunt; & sex quidem eorum, ex Oldrad. *cons. 272. n. 3.* recenset Schrader. *d. feud. part. 5. cap. 1. n. 2.* nempe, præter investituram, etiam præscriptionem, apprehensionem possessionis alicujus rei tanquam feudalis jussu Domini factam, possessionem annalem scientiâ & patientiâ Domini interveniente, recognitionem, & sententiam; alij ut Borcholt. *d. feud. cap. 7. n. 1.* & Bocer. *class. 1. disp. 14. th. 6.* investituræ adjungunt successionem, & præscriptionem. Verùm

nos,

nes; excepto eo, quod de præscriptione & sententiâ, quibus investituram præsumtam induci inferius dicemus, adfertur, id omne lubentes in vitio ponimus. Nam qui successionem addunt, modum feudi acquirendi cum modo constituendi pessimè confundunt, quos accuratè tamen distinguendos esse, supra fuit monitum, *arg. §. 1. Inst. de Vsufr. §. 4. Inst. de servit. l. 3. ff. de O. & A.* Successio enim feudum nequaquam constituit, sed quod jam ante constitutum est, in alias personas transfert: quin etiam duo isthæc vel tempore, vel certè naturâ, semper sunt & manent distincta. Et de Investiturâ in præsentiarum agere animus nobis est, dicturis scilicet de ejus etymologiâ, homonymiâ, synonymiâ, definitione, divisione, causis, & tandem de effectu.

VI.

Investituræ vocem ab investiendo dici, perspicuum est. Tò investire autem, hoc in significatu, originis latinæ ne sit, à Veste deductum, quod vasalli recens investiti feudo, ceu veste, ornati sint; alii verò germanicæ, à Vocabulo Vest / quod firmum denotat; id omne dubium est.

Quemadmodum Feudi, ita etiam Investituræ vox Romana esse non videtur. In Digest. Cod. Instit. & Nov. neutra harum occurrit. Sed in Iure Canon: cujus plerique auctores, & collectio Iure Civili longè recentior est, eam passim reperias *c. 22. c. 24. x. de præbend. & dign. c. 4. c. 7. c. 9. c. 10. x. de concess. præbend. & Eccles. non vac. c. 2. x. de feud.* Vt itaque feudorum origo omnis Longobardis, Germani-

 tæ gen-

cæ genti, probabiliter ſatis adſcribitur; VVeſenb. *de feud. c.3. n. 2.* Roſenthal. *d. feud. lib. 1. cap. 1. concl. 8. n. 1.* ita eisdem autoribus ſuos voces hæ fortè debebant natales. Num verò Longobardi Germanizantes, & in Italiâ degentes, à Germanico Veſt/ quod firmum, & veſten/ ſive beveſtigen/ quod firmare ſignificat (uti Forner. *d. feud. cap. 1.* & ex eo Frantzk. *d. laudem. cap. 5. n. 4.* volunt,) ceu primitivo, an verò à latinâ voce, veſte, ſecundum Cujac. & Feudiſtas communiter, hanc formaverint, uti certi nô poſſumus, ita ſollicìti eſſe nolumus, ne operose videamur nihil agere; quilibet hîc ſuo abundabit ſenſu. Videri verò poteſt Hotom. *in diction. feudali, voce Inveſtitura, & in Comment. 2. f. 2.* Cujac. *ibid. & 8. obſerv. 14.* Duar. *de feud. cap. 7. n. 2.* Knichen. *de Veſtitur. pact. part. 1. c. 1. n. 1. 2. 3. & 4.* Beſold. *theſaur. pract. voce* Belehnung.

VII.

Inveſtituræ vox modo non uno ſumitur; vel enim (1) feudi poſſeſſionem denotat, vel (2) Inveſtituræ literas, **den Lehnbrieff**/ vel (3) ipſum inveſtiendi actum, **die Belehnung**/ quæ ſignificatio hujus loci propria eſt.

Ita quidem, & triplici hoc modo, vox Inveſtituræ in materiâ feudali uſurpatur: reperias tamen & alibi ejus uſum, aliamq; ſignificationem, licet à feudis & ipſam illuc, uti videtur, derivatam. Nam & Imperator de imperio, & reges de regno dicuntur inveſtiri, id eſt, imperium atque regnum ipſis committi: quomodo Archiepiſcopus Moguntinus, juſſu Pontificis Romani, Henricum IV. Imperat. exauctorando, dixit: quem meritum inveſtivimus, quare immeritum non deveſtiamus? referente ex Helmol-

do *in Chron. Slav. lib. 1. c. 32.* Andreâ Knichen *d. tr. d. Vestitur. pact. part. 1. c. 1. n. 5.* Præterea, uti jam supra ex Dyno, *in c. beneficium. 1. de R. I. in 6. n. 14.* monuimus, vox Investituræ quoq; beneficij Ecclesiastici in aliquem collati confirmationem, ab Episcopo factam (vocatur etiam Institutio, in *c. cum ex injuncto. 12. x. d. hæretic.*) denotat, *d. c. 22. & 24. x. d. præbend. c. 4. 7. 9. & 10. x. d. concess. præbend. & Eccles. non vac.* quam vel comitatur, vel sequi solet Installatio, *d. cap. 7. x. d. concess. præbend. & eccles. non vac.* hoc est, stalli in choro, & loci in capitulo assignatio. *c. dilectus. 19. c. 22. in fin. c. 25. x. de præb. & dign.* Vnde ex Gl. *in pr. Inst. d. V. O.* & Menoch. *consil. 1. n. 25. & cons. 2. n. 269.* generalem hujus vocis significationem, quâ omnem actum, per quem possessio quocunq; jure alicui conceditur, denotet, Obrecht. *lib. 2. schol. feud. cap. 8. num. 4.* & Frantzk. *d. tr. d. laudem cap. 5. n. 9.* deducunt. Hoc loco, uti dictum, significat vel possessionem, *2. f. 2. pr.* per metonymiam sc. effectus, quomodo id solùm de investiturâ propriâ verum est, quæ hoc ipso abusivæ contradistinguitur, *d. text. 2. f. 2. in pr.* vel literas super factâ investiturâ conscriptas, *2. f. 18.* quæ alio nomine etiam breve testatum *1. f. 2. §. 1. 1. f. 3. & 4. 2. f. 32.* aliquando investituræ instrumentum *2. f. 85. vers. idcirco*, vocantur, Motz: *d. subst. feud. n. 34.* vel tandem actum investiendi: *1. f. 25. pr. 2. f. 1. vers. sciendum.* idq; rursus dupliciter: nam non tantùm novi feudi constitutio, sed & veteris investituræ renovatio hoc nomine venire solet, prout ex infra dicendis manifestum fiet.

IIX.

Investituræ, in ultimo significatu sumtæ, synonyma sunt, Investitio, & quæ ab alijs additur, Infeudatio.

Investitio dicitur *1. f. 26. & 1. f. 28.* Germ. die Belehnung/ oder Lehnsempfängnis. Infeudationis vocabulum in juris feudalis textibus vix equidem invenies; usus tamen loquendi cùm introduxerit, quin uti eodem queamus, nihil est, quod vetet, Quemadmodum videmus actũ, quo vasallus vel totum, vel partem sui feudi alteri rursus in feudum concedit, *2. f. 9. pr. 2. f. 26. v. benefic. 2. f. 34. §. similiter, & 2. f. 3. §. 1.* à Ddb. subinfeudationem, & ejusmodi beneficia subfeuda, germ: die Afterlehn/ appellari, quas appellationes apud Feudistas passim, cum primis verò apud Andream Kohl. *in tractatu d. subfeudis.* reperire licet.

IX.

Describimus autem Investituram, quod sit contractus Iuris Civilis, nominatus, consensualis, bonæ fidei, quo dominus vasallo, fidelitatem promittenti, feudum testatò cedit.

Investituræ generalem definitionem veteres plerique Feudistæ negligunt, uti nec apud Schraderum vel Rosenthalium eam temerè invenias: recentiorum verò alij aliam adferunt. Hattyser. *in anal. iur. feud. cap. 9.* brevissimè definit, feudi cessionem. Rüdinger *in Enchirid. tit. 11.* solemnem feudi cessionem & confirmationem, quomodo ferè Obrechtus etiam *disp. feud. 8. thes. 7.* eam describit. Sed hæ similesq; definitiones genere carent, vel non nisi valdè æquivocum ponunt. Vult. *d. feud. 1. cap. 7.* & cum illo, Georgius Schultze *in synops. cap. 9. num. 5.* dicit, quod sit traditio & concessio feudi solennis, per quam dominium utile vasallo acquiritur: sed præterquam, quod eodem cum prioribus vitio circa genus laboret, angustior etiam

est

est definito, & soli propriæ investituræ aptari potest. Bocer. *class. 5. disp. 16. th. 7. & tract. d. Investitur. cap. 1. n. 1.* per actum solennem &c. describit, sed genere nimis remoto utitur. Omnium pessimè, uti videtur, dicitur, quod sit apprehensio corporalis possessionis feudi, cum vasallus à domino in rei feudalis possessionem inducitur. Ioh. Henr. Link. *in tract. feud. part. 4. n. 2.* Nobis hâc in re secutis Niellium *disp. feud. 4. th. 2.* & præceptores nostros, ita uti in thesi dictum, eam describere placuit. Generis loco ponimus contractum, & quidem Iuris civilis, nominatum, &c. quæ omnia ad differentiam genericam referimus. Specificam verò differentiam, quæ conceptum illum contrahibilem, ad hanc contractus, ceu generis, speciem contrahit, illa exprimunt, cum dicitur: quo dominus &c. quæ infra, quando de causâ formali agetur, ulterius pertractabuntur.

X.

Dicitur Contractus.

Quod non ex eo probatum damus, quòd actionem ad agendum producat efficacem, cùm etiam delictis hoc conveniat, *§. in summa. 8. Inst. d. iniur. l. 5. pr. & §. 6. l. 37. §. 1. ff. eod. §. ex maleficiis 18. I. d. Act. §. 5. & §. fin. I. d. Oblig. ex delict. l. 7. §. 1. & 2. l. 8. pr. & t. t. ff. d. condict. furtiv. t. t. ff. d. act. rer. amot. vid.* Bachov. *d. act. disp. 5. thes. 3. 13. & seqq.* nec ex hoc solo, quod sit conventio talem producens obligationem; hoc enim modo & pacta legitima, quidni etiam adjecta, contractus forent, *arg. §. 9. Inst. de act. l. 1. §. 4. l. 5. §. 1. & t. t. ff. d. constit. pec. l. 17. §. 2. ff. d. pact. l. 35. §. fin. C. d. donat. l. 6. C. d. dot. promiss.* sed ex hoc, quod sit conventio, intrinsecâ suâ vi & ἐνεργείᾳ producens actionem, quomodo contractum definitum volunt *arg. l. 7. §. 1. & 2. d. pact.* Istud verò, cùm à multis non infimi

subsellij Doctoribus negari videamus, ulterius deducendum erit. Conventionem esse investituram, nullum negaturum speramus, cui constat, conventionem in genere, nihil aliud esse, quàm duorum vel plurium in idem placitum consensum; *l. 1. §. 3. ff. de pact.* hunc autem in hoc negotio adesse, luce meridianâ clarius est: adest enim vasalli feudum acceptantis, adest etiam domini, sub conditione fidei feudum cedentis, consensus, *arg. 2. f. 23. versic. inprimis & seq.* quo ipso constat, subesse quoque conventionem. Porrò, hanc etiam talem esse conventionem, quæ actionem ex se & naturâ suâ producat, dubitare nos non sinunt textus juris feudalis, *2. f. 7. §. 1. 2 f. 26. §. si facta.* Imò ipsi, qui negant, quod Investitura sit contractus, actionem tamen inde oriri, vel inviti nobis largiuntur. Præterea, omnes ferè contractum feudalem aliquem agnoscunt, dum non tantùm voce feudi quandoque eum significari concedunt, verùm etiam in ipso describendo valdè operosi sunt, & num stricti juris, vel bonæ fidei, nominatus vel innominatus sit, prolixè disputant. Vid. Schrader. *part. 2. cap. 2. num. 1.* Curt. jun. *part. 1. quæst. princ. 9.* Nicol. Intrigl. *de feud. quæst. 15. & 16.* Zas. *epit. feud. part. 10. n. 5. & 6.* Motz. *d. orig. feud. n. 21.* VVesenb. *d. feud. t. 1. n. 5.* Rosenthal. *cap. 1. concl. 5.* Cùm verò inter hunc, quem vocant contractum feudalem, & investituram, cumprimis propriam, solida differentia non appareat, utique eo ipso investituram contractum esse fatentur. Nam, quod Finckelth. *in controv. feud. disp. 1. contr. 17. & seqq.* feudalem contractum non alium esse vult, quàm quo feudum promittitur, admitti non debet. Alij, sicut & thesi præcedente dictum, generis loco actum ponunt; sed quod jam præverti dicere, minus rectè: negare equidem non possumus, investituram esse actum, hoc ipso dum contractum

dici-

dicimus, omnis enim contractus actus est, licet non contra, *arg. l. Labeo. 19 ff. de V. S.* genus tamen proximum esse actum, negamus. Licet itaque ejusmodi definitio, in quâ generi remoto specifica tantùm differentia adjicitur, essentialis sit, perfecta tamen haud est, æquè ac si dixeris, homo est corpus rationale, expresse enim totam rei essentiam non explicas. Ab errore autẽ immunis esse non videtur Finckelthausius, dum erroris arguit interpretes alios, investituram per contractum definientes, *disp. feudal. 7. contr. 5.* cujus rationibus nos in ipsâ disputatione respondebimus.

XI.
Iuris Civilis.

Idque propter formam suam, quam non aliunde, nisi à moribus Longobardorum habet, qui utiq; postquam etiam apud nos recepti sunt, juris nostri civilis non scripti partem faciunt, *arg. §. 2. & 9. Inst. d. I. N. G. & C.* Vnde hic per jus Civile, non uti aliàs καὶ ἐξοχὴν Romanum, sed gentium illarum Germanicarum potissimùm, quæ Longobardorum nomine veniunt, intelligendum est. Quà propter hunc contractum gentium Germanicarum proprium esse, ait Hugo Grotius *d. Iur. P. & B. l. 1. c. 3. §. 23.* Nam & Gothos, Vandalos, Alemannos, Francos, Burgundiones, Anglos, Saxones, nationes omnes Germanicas, qui partes optimas imperij Romani bello occuparunt, suas singulas leges aut mores de feudis non minus, quàm Longobardos habuisse, idem Grotius rectè docet, *d. I. P. & B. lib. 2. c. 7. §. 21.* Certum autem est, seculo VI. post N. C. ruente jam imperio Occidentis, Longobardos, qui Taciti tempore in Marchiâ Veteri habitavere, postea sedibus suis relictis Pannoniam insedêre, à Narsete Iustiniani

ani duce in Italiam vocatos venisse, ejectisq; Romanorum præsidiis, pleraque Italiæ, quæ Longobardia hodie audiunt, occupâsse. Iidem tamen Longobardi, num occupatâ Italiâ, unà morem hunc, feuda per investituram constituendi, Germaniæ hactenus frequentatum, Italiæ verò ignotum, eò secum intulerint, æquè planum quidem non est, probabile tamen omninò. Sic videas in textibus feudalibus crebram Longobardorum & legum Longobardicarum fieri mentionem, *2.f.1.pr.2.f.58.vers. secundum.1.f.10.in fin.*& multum talium vocularum Longobardicarũ usum, e.g. allodij. *2.f. 26. §. 1. rubr. & tit. 2.f.54*, vasalli, valvasorum, *1.f.1.pr. 1.f. 4.§.3. 1. f. 7. in f. rubric. 1. f.16. 1.f. 23. & passim.* felonjæ, *2.f.26.§.Domino. 2.f.38.* morganaticæ, *2.f. 29.* hostenditiarum *2.f. 40.* Vid. Finckelth. *disp. 1. contr. 5. lit. 6.* Ipsi etiam rerum Germanicarum scriptores soli, videntur feudorum facere mentionem. Vid. Niell. *in coroll. disp. feud. 4.*

XII.

Nominatus.

Sive enim nominatos dicas, qui certum nomen appellativum habent, sive eos hoc nomine indigites, quibus nomen specificum, sive ut Ias. *in l. 7. §.1.ff. de pact.* vocat, discretivum; id est, (quæ hoc nomine significatur) certa, & ab alijs specificè differens forma est, cujus vi actionem certam & solennem producunt, *arg. l. 7. §. 1.ff.d. l.1. §. 2.ff. de rer. permut.* jure meritoq; investituram contractum nominatum vocaveris, *arg. 2.f.26.§. si facta.* nam & ipsa habet singulare nomen, & formam à cæteris contractibus differentem, Clarus *lib. 4. §. feudum, quæst. 6.* Tusch. *lit. f. conclus. 104. n. 6.* hoc est, etiam in hoc feudali contractu, conventio ad certam dationis & facti speciem deter-

determinata est. Non igitur Finckelthausio assentimur malè asserenti, aliquàndo feudum contractum nominatum esse, aliquando verò innominatū *disp. 1. contr. 19.* Contractus enim feudalis sive Investitura, suam, per quam est quod est, formam, & differentiam specificam, ipsum intrinsecè constituentem, eandem specie semper retinet; occasio verò errandi viro fuit illud dogma, quo vult, contractum feudalem non alium esse, quàm quo feudum promittitur, quod nos jam supra reiecimus. Neque nos ferit auctoritas Baldi, *ad l. 2. n. 2. C. quando lic. ab empt. disc.* feudalem contractū, sive Investituram, inter innominatos contractus referentis: nam si auctoritate pugnare animus foret, Baldo Baldum, *in cap. quæ in Ecclesiar. x. d. constit. n. 21.* possemus opponere, & Bartolum, *ad l. 7. §. quinimò. 5. n. 29. in f. ff. de pactis.* Curtium Iunior: *in tract. de feud. part. 1. quæst. 9. n. 2. in fin.* Zasium, *epit. feud. part. 1. n. 5.* Clarum, *§. feudum, qu. 6.* Schraderum, *part. 2. cap. 2. n. 3.* Bocerum, *tract. de Invest. feud. c. 2. n. 35.* Alv. Valasc. *d. iure. emphyt. quæst. 38. n. 3* Anton. d. Padillâ *ad l. 5. ff. de. P. V. n. 27.* Præterea, ratio dari solet hæc, quòd in hoc investituræ contractu pœnitentia non admittatur; recedere enim Dominus non potest ab hoc contractu inito, sed feudum præcisè tenetur præstare, *2. f. 7. §. ult. §. 1. & §. fin. 1. f. 1. 2. f. 23. in fin. & 2. f. 26. §. si facta.* Niell. disp. *feud. 4. th. 2.* at in contractibus innominatis locus est pœnitentiæ legali, (quæ temporalis aliâs dicitur, in oppositione ad spiritualem,) *l. 3. §. 2. l. 5. in pr. ff. de condict. caus. dat. l. 5. §. 1. vers. vel si meum. ff. d. præsc. verb. & l. 4. in fin. C. d. rer. perm.*

XIII.

Consensualis.

Cùm nobis propositum sit, Investituram, non nisi

prout est modus feudum constituendi, definire, & verò tam per abusivam, quàm propriam id fiat, *2. f. 2. 1. f. 3. 2. f. 26. §. si facta.* nam utraque illa contractui beneficiario suggerit formam constitutitiam, & spiritum feudi parturit, uti loquitur Knichen, *d. vestit. pact. part. 1. cap. 1. num. 6.* oportuit quoq; tale genus in definitione poni, quod utramque sub sese complecteretur speciem. Porrò, jam supra fuit evictum, investituram contractum esse; unde, nisi cum quibusdam prorsus anomalum eum dicere malimus, necessariò ad unam illarum specierum, quæ ab Imperatore, *in §. 2. in fin. Inst. d. Obl.* & ICto *in l. 1. §. 1. ff. de O. & A.* enumerantur, erit referendus. Literalem esse, nemo facilè dixerit: quamvis enim regulariter, super factâ feudi concessione, fieri soleant literæ investituræ; ad ejus tamen substantiam non requiruntur, per *text: expr. in pr. versic. si enim. 2. f. 2. & ibid.* Alvarot. *num. 4.* Præpos. *num. 5. §. si autem. eod. tit. 1. f. 26. pr. & §. 1. 2. f. 32. pr. arg. l. 4. ff. d. pignor. l. 4. ff. d. fid. instrum.* Rosenthal. *cap. 6. concl. 4. n. 1.* VVesemb. *d. feud. cap. 8. n. 31.* Sonsbec. *ad usus feud. part. 9. n. 23.* Quin, utut ex hodiernâ consvetudine, super investiturâ semper quidem breve testatum conscribi soleat, id tamen actum investiendi, cessionem videlicet feudi, & fidelitatis præstationem ut plurimùm demum sequitur; quomodo certè apparet, scripturam de substantiâ hujus contractus non esse, *arg. tit. Inst. de lit. obl.* Facit præterea, quòd ex hoc contractu non tantùm dominus, sed & vasallus, cujus tamen nulla intervenit scriptura, obligetur, *2. f. 5. 6. & 7. 2. f. 34. §. 2. 2. f. 26. §. licet.* alium verò quàm cujus literæ proferuntur, iis obligari, contra rationem juris esse videtur. Neque etiam verbalem hunc contractum rectè quis dixerit: nuspiam enim traditum est, quòd solenni interrogatione, & in continenti subsequutâ

respon-

reſponſione, quemadmodum ſtipulatio, *pr. Inſt. d. V. O. l. 1. pr. & §. 1. l. 4. l. 5. §. 1. l. 137. pr. ff. eodem.* conſtet. Realem fortè quis exiſtimet, propterea, quod in inveſtiturâ propriâ, uti ex infra dicendis conſtabit, ipſa rei feudalis traditio, in abuſivâ verò rei loco, ſignum aliquod corporeum interveniat; *2. f. 2.* verùm nec huic ſententiæ ſubſcribere poſſumus, eò quòd, licet cum inveſtiturâ propriâ ipſa rei feudalis traditio tempore concurrat, non tamen ea ad conſtitutionem feudi quicquam, ſed acquiſitionem ejus ſolummodo faciat. *arg. §. 41. Inſt. de R. D.* Et cùm reales contractus nec perfecti prius ſint, nec conſenſus in jis dicatur formatus, adeoque nec obligationem producant, quâm res ſit tradita, in hoc res contrà ſe habet, & obligatio ad agendum efficax ante etiam traditionem naſcitur, *ſæpè d. text. 2. f. 26. §. ſi facta.* Ex quibus cùm pateat, ad hujus contractus eſſentiam neque literas, neque verba, neque rei interventum neceſſariò requiri, ſequitur, conſenſualibus eum accenſendum eſſe, *arg. pr. Inſt. de. Obl. ex conſenſ. 2. f. 3. §. 1. verſic. ſed utrum.* Vult. *d. feud. cap. 7. num. 11.* Schoner: *diſput. feud. lib. 1. d. 5. theſ. 5.*

XIV.

Bonæ fidei.

Sumitur autem hoc loco bona fides, non ut opponitur dolo, quomodo uſurpatur in *l. 3. in fin. ff. pro ſocio. l. pen. C. depoſ. l. 4. C. d. O. & A.* hoc enim ſenſu ſumtâ bonâ fide, omnis contractus bonæ fidei eſſe debet: ſed ſtrictiùs, pro æquo & bono, quod ſtricto juri opponitur, quemadmodum accipitur *in l. 31. ff. depoſ. l. 24. locati.* ut ita contractus bonæ fidei dicatur, in quo ex æquo & bono alter alteri obligatur ad id, cujus expreſſa etiam in contractu mentio nulla eſt facta. Talem autem contractum bonæ fidei in-

vestituram esse probaverimus, tùm quia est contractus consensu constans, *arg. d. pr. Inst. d. oblig. ex cons.* Bachov. *d. act. disp. 6. th. 9.* tum quia est διπλευρος. Omnis enim διπλευρος bonæ fidei est, licet non contrà. Vid. Hotom. *ad §. 28. Inst. d. act.* Bachov. *d. act. d. disp. 6. th. 11.* Neq; verò Boceri rationes, quas *in d. tr. d. invest. cap. 2. n. 41.* adfert, à sententiâ hâc nos dimovere poterunt: earum vel potissima hæc est, quòd nominatim hic contractus à lege non jubeatur talis esse, sive quod idem est, quia contractus hic *in §. 28. I. d. act.* non habeatur; hunc enim §. principium controversiæ hujus decidendæ faciunt, ita ut quicunque sit bonæ fidei, ibi vel expresse, vel virtualiter habeatur, & contrà, cui ibi nullus est locus, hoc ipso etiam non sit bonæ fidei, quæ communissima interpretum sententia est; *ad. d. §. 28.* & pluribus confirmatur à Bachov. *d. tr. d. act. disp. 6. th. 5.* hoc; inquam, argumentum rem non evincit: respondemus enim, etiamsi rectè à posteriori ita inferatur ex §. illo, ad probandum bonæ fidei contractum, id omne tamen solùm intelligendum esse de contractibus illis, quibus de Imperator locutus est, & scil. qui à Romanis inventi, aut ab iisdem saltem approbati fuerunt, quorum neutro in ordine præsens noster, de quo nobis sermo, contractus scil. investituræ est: quippe non à Romanis, sed Longobardis, Germanicâ gente inventus, *de quo supra th. 11.*

XV.

Quo dominus &c. feudum cedit.

Hæc pleraque differentiam specificam hujus contractus constituunt, de quâ, quoniam latiùs infrà, ubi de formâ tractabitur, acturi sumus; hoc loco labore, illa ulteriùs explicandi, supersedemus. Tantùm hîc nota: cum

verbi

verbi *cedere* latissima sit significatio, in hâc definitione idem denotare quod *constituere*, *l. ult. ff. comm. prad.* Tunc autem feudum à Domino ceditur, sive constituitur, quando scilicet res immobilis, vel quæ huic æquipollet, ex numero & conditione rerum allodialium eximitur, & feudali qualitate imbuitur, atque ita, quæ ante non talis, sed allodialis erat, feudalis efficitur, uti loquitur Ioan. Iacob. Plebst. *disp. feud. 8. thes. 1.* Vid. etiam Niell. *disp. 4. thes. 2.* Cujac. *1. f. 3. in pr.*

XVI.

Explicatâ Investituræ definitione, progredimur ad ejusdem divisionem: Est autem Investitura alia Propria, alia Impropria, seu Abusiva.

Clar: *lib. 4. §. feudum. quæst. 26. n. 1.* VVesemb. *d. feud. cap. 8. n. 11.* Est hæc catholica omnium juris feudalis interpretum distributio, à solo, quod sciam, Vulteio *d. feud. lib. 1. c. 7. n. 11.* & qui hunc sequitur, Niellio *dict. disp. 4. thes. 3. lit. f.* rejecta. Ac licèt negari fortè nequeat, accuratam inter has species, & regulis Logicorum convenientem oppositionem vix reperiri: cùm, quod ad feudi constitutionem attinet, utriusq; eadem sit ratio, & quemadmodum in contractu emtionis venditionis, (qui & ipse solo consensu constat, *pr. Inst. d. Obl. ex cons. pr. & §. 1. Inst. de Emt. Vend.* neque ad sui perfectionem rei interventum, sive, ut in ipso contractu possessio tradatur, requirit,) fieri tamen quandoq; solet, ut res interveniat, & in ipso contractu possessio rei tradatur, nec tamen propterea à quopiam emtio in propriam & abusivam distinguitur: ita neq; hujus contractus feudalis diversæ species, ex traditæ vel non

traditæ possessionis discrimine constitui debere videantur; quia tamen hæc divisio expresso textu, 2. f. 2. nititur, atq; ab omnibus est recepta; tum etiam inter istas investituræ species ratione effectus magna subest differentia, dũ in propriâ non tantùm constituitur, sed simul etiam acquiritur, in abusivâ verò tantùm constituitur feudum, omninò retineri potest. Bocer. *d. invest. cap. 2. n. 81.* Arum: *disp. feud. 5. thes. 6.*

XVII.

Propria Investitura est, quando Dominus vasallo ita feudum cedit, ut rei feudalis possessio simul in eum transferatur.

Rosenth. *d. feud. c. 6. concl. 2. n. 3.* Schrad. *part. 5. cap. 3. pr.* Borcholt. *cap. 7. rubr. d. invest. n. 5.* Mottz. *d. subst. feud. n. 35.* VVesemb. *cap. 8. n. 11.* Dicitur hæc communi usu loquendi propria, non, quòd altera illa non etiam sit investitura, sive, quòd hæc magis feudum, quam illa constituat, utraque enim illud efficit; sed quòd propter adjunctam traditionem propriè, i. e. perfectè & plenè, contractum feudalem consummet, non tantùm constituendo, sed & unâ feudum acquirendo. Patet hoc inde, quia voce Investituræ longè frequentiùs, & ferè infinitis locis abusiva, propria verò & possessio fortassis nullibi, nisi *2. f. 2.* denotatur: quin imò investitura & possessio sibi opponuntur. *1. f. 3. 1. f. 4. §. 1. §. 4. §. 5. 2. f. 33.* & hæc ab illâ passim separatur. Vid. Niell. *d. disp. 4. th. 3. lit. f.* Dicitur autem *2. f. 2. pr.* investitura, non in genere, sed in specie propria, possessio, *μετωνυμικῶς* sc. & quòd propter adiunctam rei traditionem possessio quoque per eam in vasallum transferatur. Hæc quippe ad suum esse, vel saltem complementum, requirit actualem rei traditionem, sive, cùm pro

sub-

subiecto rem immobilem habeat, introductionem: æquè ac mutuum actualem rei fungibilis requirit traditionem, adeò quidem, ut sine hâc tale non sit; nam & hîc, si actu quis in rem, quæ in feudum conceditur, non fuerit deductus, Investitura propria nullo modo dici potest. Non quidem de investituræ, in genere sumtæ, essentiâ est actualis introductio, sed hæc de illâ, hoc modo sumtâ, accidentaliter prædicatur; at de hâc investituræ specie, quæ propria vocatur, & acquisitionem unà cum feudi constitutione includit, prædicabitur essentialiter, quemadmodum τὸ rationale, de animali, ceu genere, accidentaliter, sed de ejus aliquâ specie, homine scil. prædicatur essentialiter.

XIIX.

Propria Investitura rursus, vel Vera, vel Præsumpta est.

Vera, quæ fit per conventionem, accedente introductione, cùm scil. vasallus, quando feudum sibi ceditur, in possessionem quoque introducitur, *sicut th. præc. dictum est.* Præsumta verò, quæ intelligitur citra conventionem & cessionem, interveniente tamen alio, ex quo præsumi queat, cessionem eiusmodi, quæ facta quidem re verâ non est, factam fuisse; perinde atque Bachov. literarum obligationem dicit esse ex præsumpto mutuo, quod nimirum, licet verè pecunia numerata non sit, tamen ex literis elapso biennio, eam numeratam esse, præsumatur, *ad tit. Inst. d. liter. Obl. & ad. Treutl. vol. 1. disp. 20. thes. 2. lit. B.* quam eandem, uti &, quæ ex sententiâ judicis malè judicantis oritur, præsumtivam obligationem idem appellat, *arg. l. 25. ff. d. stat. hom. l. 207. ff. de R. I.* Quo ipso patet, hanc præsumtam, veram investituræ propriæ speciem haud esse, cum eidem neq; definitio suprà data competat. Neque

est,

est, quod objicias, subdividi tamen à nobis Investituram propriam in has duas species: respondeo enim, hanc præsumptam, dici propriam in oppositione ad abusivam, in quantum hoc à propriâ participat, quòd actualem rei possessionem continet, secus quàm abusiva.

XIX.

Præsumta inducitur tum præscriptione, tum judicis sententiâ.

Schrad. *part. 5. c. 4. & c. 5. n. 13.* Franc. Balb. *d. præsc. p. 4. part. quart. princ. quæst. 12. n. 1.* Schultz. *in syn. feud. cap. 9. membr. 2. n. 84.* Carpzov. *in disp. feud. 6. th. 51.* De illâ est textus, *2. f. 26. §. 4.* ubi, siquis per triginta annos rem aliquam ut feudum possederit, dominoq; exhibuerit servitium, is, etsi verè investitus de feudo non sit, tueri tamen se potest triginta annorum præscriptione, *facit 1. f. 28.* Præscriptio in materiâ feudali multis casibus locum habet, uti videre est apud Rosenth. *c. 6. concl. 77. n. 1.* Clar. *§. feudum. qu. 45.* Hoc loco, quamvis unicus in *d. §. si quis. 2. f. 26.* referatur, quando sc. vasallus in re domini nunquam sibi in feudum concessâ, sed tamen ut feudali possessâ, utile dominium præscribit; addi nihilominus etiam alter debet, quando vasallus rem propriam ab alio tanquam feudalem possidet, atque sic alter ille dominium directum præscriptione acquirit; utroque enim casu, ob diuturnitatem temporis, investitura intervenisse præsumitur, Mynsing. *cent. 4. obs. 29. n. fin.* Iul. Clar. *d. §. feudum. q. 19.* Obrecht. *disp. feud. 6. thes. 124. & seq.* Rosenth. *d. cap. 6. concl. 81. per tot.* Borch. *d. feud. c. 7. rubr. d. præscr. feud. n. 9.* Hartm. Pistor. *part. 2. qu. 42. n. 45.* Zas. *part. 6. n. 32.* Molin. *ad consu. Paris. §. 12. n. 22.* & tempus à lege præfixum investituræ instar est, atque loco tituli sicut ex

Steph.

Steph. Forcat. *d. feud. c. 8. n. 1.* refert Plebstius. *disp. 4. th. 53.* Vt autem præscriptio hæc rectè procedat, & investituram præsumptam inducat, requiritur à parte, vel vasalli, vel domini præscribere volentis,(1) possessio *d. text. 2. f. 26. §. si quis 4. ubi.* Bald. Alvarot. *& alij.* Gl. *in cap. un. verb. per 30. annos. 1. f. 28. arg. l. 2. C. d. præsc. long. temp. l. 3. l. 5. 25. ff. de usucap.* Vult. *d. feud. l. 1. c. 9. n. 13.* (2) possessio continua nec interrupta; *arg. particulæ* per, *in d. §. si quis. 4. & ibid. Alvarot. n. 2.* Baro Schenck. *n. 1. & 2. l. urbana famil. 166. §. 1. & ibidem* Goedd. *n. 3. d. V. S. l. 3. l. 15. §. 2. l. 20. l. 33. §. 4. ff. d. usucap. arg. l. 2. C. d. præscr. long. temp. cap. illud. 8. c. auditis 15. x. d. præscr.* tempora tamen autorum, secundum dispositionem juris communis, *§. 7. I. d. usuc. l. 13. §. 1. d. acqu. poss. l. 14. l. 20. ff. d. usucap.* in successores continuari putamus, cum Rittersh. *part. feud. cap. 18. qu. 4.* Plebst. *disp. feud. 4. thes. 57.* (3) requiritur possessio rei tanquam feudalis. *d. §. si quis. 4. 2. f. 26: ibiq. Feudistæ.* Borch. *cap. 7. part. 3. n. 4.* Nam si res alio possideatur animo, e. g. pignoris, possessio illa ad effectum præscribendi nihil prodest, Franc. Balb. *d. præsc. p. 4. part. 4. princ. quæst. 12. p. 1. n. 1.* Vult. *d. cap. 9. n. 12.* Rei autem tanquam feudalis â vasallo asserto possessæ, signum præcipuum est; si is à Domino requisitus, servitium ei tanquam seniori exhibuerit, *dict. text. §. si quis. per. trig. 2. f. 26.* Vbi, cum in numero unitatis servitium requiratur, Dd. communiter sufficere putant, semel istud exhibitum fuisse: Zas. *part. 6. n. 30.* Mynf. *cent. 4. obs. 29. n. 2.* Balb. *loc. supr. cit.* Molin. *ad consuet. Paris. §. 12. n. 11.* Hartm. Pistor. *part. 2. qu. 46. n. 29.* Rosenth. *cap. 6. concl. 77. n. 2. cum allegat. ibid. lit. a.* deinde cum etiam Feudista utatur verbo *exhibuerit*, non verò *præstiterit*, dicunt, non esse necesse, ut vasallus actu ipso præstet,

dummodo in morâ non fuerit, quò minus à Domino requisitus servitium præstaret, *arg. c. un. §. ult. 2. f. 37.* Vid. Hotom, *add. §. si quis.* Schultz. *in synops. c. 9. memb. 2. n. 90.* (4) requiritur etiam possessio rei, tanquam feudalis, continuata per triginta annos, *dict. §. si quis. 2. f. 26. ubi iterum Dd.* Neque huic repugnat textus, *2. f. 87.* ubi longi temporis tantùm, quod est x. vel xx. annorum, *rubr. &. l. 9. 11. & 12. C. d. præscr. long. temp.* fit mentio: Respondeo enim, longum tempus *in citato cap.* pro more consuetudinum feudalium accipi, non verò secundum leges juris civilis, adeoque capitulum hoc extraordinarium interpretandum esse ex ordinario, *2. f. 26.* ut ita tempus longum denotet triginta annorum spacium. Et hujus temporis, talis lapsus, non tantùm in rebus secularibus, sed etiam Ecclesiasticis ad præscriptionem sufficit, & præsumptam investituram inducit, uti rectè ex *d. §. si quis* generaliter loquente, inferunt, Baro Schenck. *d.* Tautenberg. *ad illum §. n. 4.* Vult. *loc. cit. c. 9. n. 8.* Finckelth. *disp. 8. contr. 7.* Carpzov. *disp. feud. 6. th. 52.* Plebst. *disp. feud. 4. thes. 58. lit. b.* licet per, *auth. quas actiones. C. d. S. S. Eccles. Nov. 131. cap. 6.* dissentiant Balb. *d. loc. n. 4.* Rosenth. *d. cap. 6. concl. 78. n. 7. cum plurimis ibid. allegat.* Arum. *disp. 5. th. 31.* Rittersh. *d. differ. jur. Civ. & Can. l. 3. c. 25. in f.* (5.) tandem requiritur bona fides, *2. f. 87.* (quod capitulum quamvis extraordinarium, tamen ad hunc casum, qui in reliquo jure feudali non continetur, decidendum, rectè adhibetur. Hart. Pist. *part. 2. qu. 13. n. 50.* Arum. *disp. feud. 1. thes. 17.*) Finckelth. *disp. 8. contr. 13.* id quod cum jure Canonico, *c. vigilanti. 5. cap. fin. x. d. præscript.* quod in præscriptionum materiâ etiam in Camerâ, testibus Mynf. *cent. 4. obs. 6.* Gail. *2. obs. 18. n. 7. 8. 9.* in causis quoque feudalibus, uti se observasse

 scri-

ſcribit Roſenth. *d. concl. 77. num. 9. & in addit. lit. b.* (ubi plurimas pro illâ ſententiâ autoritates cumulat) obſervatur, quàm optimè convenit. Vid. Arûm. *diſp. 5. th. 32.* Finckelth. *diſp. 8. contr. 13.* De Sententiâ judicis quâ & ipsâ præſumtam Inveſtituram induci diximus, ita eſt habendū. Si ſuper controverſia fundi, quem alter proprium, alter verò feudalem dicit, judex pronunciet, fundum illum, qui verè allodialis fuit, feudalem eſſe, atque hæc ſententia lapſu decem dierum in rem judicatam tranſeat; quoniam res judicata pro veritate accipitur, *l. 25. in fin. ff. d. ſtat. hom. l. 207. ff. d. R. I.* inveſtitura præſumta inducitur, atque fundus iſte pro feudali habetur. Schrad. *p. 5. c. 5. n. 13.* Roſenth. *cap. 6. concl. 72.* Vult. *lib. 1. cap. 9. n. 22.* Nec tamen cum Dd. exiſtimandum eſt, quaſi per ſententiam nova qualitas Feudi, iſti rei controverſæ adjiceretur, aut natura rei immutaretur, ſicuti ex Bl. *ad l. 26. §. hereditatis. ff. d. condict. indeb.* referunt Schrad. Vult. *dd. locc.* Obrecht. *diſp. 6. th. 69.* & ſic ipſa ſententia inveſtituræ loco eſſet: nam 1. ſententia novi nihil tribuit aut facit, ſed tantùm ſuper eo, quod in judicium deductum eſt, pronunciat, & illud ita ſeſe habere, determinat ac definit: unde 2. per ſententiam neque utile, neque directum dominium; ſed vel utilis, vel directi dominij (ſenioratus, vel vaſallagij) præſumptio inducitur, atque id quod in judicium deductum, & in quo petitio fundata fuit, ita ſe habere declaratur, ſicuti *arg. leg. 8. §. 4. ff. ſi ſerv. vind. l. 35. §. 1. ff. d. R. V. l. 40. §. 2. ff. d. procur.* eleganter deducit, Bachovius *in Treut. vol. 2. diſp. 23. theſ. 5. lit. E. in fin.*

XX.

Impropria inveſtitura, ſive abuſiva eſt,

 quan-

quando Dominus vasallo, sine possessionis traditione, feudum cedit.

Solet hoc fieri, cum vasallo Dominus signum aliquod corporeum, v. g. hastam, gladium, sceptrum, annulum &c. porrigit, & se investituram facere dicit, *2. f. 2. pr.* Vnde non in substantiâ possessionis consistit, sed in quodam præambulo, uti ex Bl. *ad d. text. in pr. n. 2.* loquitur VVesenb. *cap. 8. n. 11.* & scilicet rei apprehendendæ tantum concessa intelligitur facultas. Requirunt autem Dd. præter symbolorum hujusmodi adhibitionem, in quo Romanos Longobardi imitati videntur, (quæ est conjectura Hotom. *in dict. feud. verb. Investitura*) hoc quoque, ne fiat in re præsenti. Quod si enim Dominus, in re præsenti constitutus, signum ejusmodi offerret, tum etiam possessio censeretur tradita; Baro Schenck. *ad d. text. 2. f. 2. n. 4.* Iacobin. d. S. Georg. *d. feud. §. investivi talem. n. 3.* nam foret hæc species traditionis fictæ, æquè ac de jure Civili porrectio clavium. *l. 74. ff. d. contr. emt. l. 1. §. 21. ff. d. acquir. vel amitt. poss.* Sed de hujus naturâ infra, ubi de formâ, & effectu sumus acturi, plura dicentur.

XXI.

Deinde, Investitura alia est Nova, alia Vetus, quæ etiam Investituræ Renovatio dicitur, item Recognitio.

2. f. 3. pr. 2. f. 32. Investitura enim non tantùm de feudo, quod non est, constituendo, sed etiam de eo, quod jam ante constitutum est, renovando fit. Nova est, quando feudum primò quæritur *d. text. 2. f. 32.* Et hæc sola verè investitura est, de quâ etiam solâ verum est, quod supra dixi, per investituram ex re allodiali feudalē fieri, id, est, feudum

con-

constitui. Vetus, quæ fit à domini successore, vel vasallo successori, *d. text. 2. f. 32. versic. de veteri.* Hæc propriè loquendo investitura non est; siquidem eâ non tam feudũ constituitur, quàm in successoris personâ confirmatur, Arum. *disp. feud. 5. th. 17.* nec quicquam novi dat, sed id solummodò quod est, & quod vasallus jam ante habet, fovet & confirmat. Rosenth. *cap. 6. concl. 68. n. 1.* Vult. *lib. 1. cap. 7. n. 59.* Nimirum forma & substantia feudi constituti, secundum Dd. communiter, in fidelitate, sed quæ sit usuifructui alicujus rei immobilis annexa, consistit. VVesemb. *d. feud. c. 8. n. 19.* Duar. *cap. 2. n. 3. & 7.* Sonsbec. *part. 2. n. 33.* Motz. *d. subst. feud. num. 1.* Schrad. *p. 2. c. 2. n. 25.* Rosenth. *c. 2. concl. 53.* Finckelth. *disp. 1. contr. 1. lit. a.* Carpzov. *disp. 1. thes. 32.* Ea verò ut plurimum jurata esse solet, *2. f. 3. §. fin. 2. f. 4. 5. 6. & 7.* ut infra dicetur. Hinc, quia personalis est, unâ cum vasalli personâ quoque extinguitur, *arg. l. 2. in f. & ibid.* Gothofr. *in not. ff. d. usu & usufruct. leg.* Cujac. *19. observ. 25.* Hart. Pistor. *p. 2. quæst. 47. n. 1.* Clar. *§. feudum. q. 49.* Covarruv. *in c. quamvis d. pact. in 6. part. 1. §. 5. n. 7.* & proinde omninò confirmatione sive renovatione opus habet, quæ sit investituræ jam ante factæ quasi quædam redintegratio. Rosenth. *c. 6. concl. 29. n. 5.* Vult. *d. cap. 7. n. 58.* Et hæc prima, introductæ à consvetudine feudali, hujus renovationis caussa est. Deinde dominorum quoque maximè interest, scire vasallos, se feudum magis beneficio domini, & primi acquirentis pactionibus, quàm successione obtinere, ne oblivione hujus, jura illorum obliterentur, aut vasalli lapsu temporis aliquam præscriptionem opponere possint, id quod hâc renovatione optimè cavetur. Tandem oportuit quoque signum aliquod reverentiæ & devotionis, quam domino debet vasallus, statui: unde petere investituram, quasi quendam

cenſum devotionis eſſe, dicit Knichen. *comm. d. Sax. non prov. jur. verbo Ducim. cap. 1. n. 19.* Vid. Borcholt. *cap. 7. membr. 1. n. 30.* Roſenthal. *cap. 6. concl. 29. n. 6. 7. 8. & 9.* ubi in fine ſatis probabiliter putat, originem inde promanâſſe: quòd, cùm antiquitus domini pro lubitu feudum auferre poſſent, poſtea verò defuncto vaſallo, filio ejus maſculo idem relinquerent, hoc quaſi novæ gratiæ & conceſſionis veſtigium remanſerit.

XXII.

Porrò, Inveſtitura alia fit purè, alia in diem, alia ſub conditione.

2. f. 35. 1. f. 2. 1. f. 9. Illa, quæ hactenus deſcripta eſt; quando vaſallus ſimpliciter, nullâ die vel conditione adjectâ, inveſtitur. *arg. 2. f. 2. §. ſi vero 1. §. omnis 2. I. d. V. Obl.* Bocer. *d. Inveſt. cap. 5. n. 2.* atque per hanc illicò feudum conſtituitur, ita ut ſi abuſivè facta ſit, ſtatim vaſallus ad feudi traditionem agere poſſit, ſi verò propriè, utile dominium in eum transferatur. Iſta; quando vaſallo feudum ex certo tempore conceditur, *arg. d. §. omnis, 2.* Bocer. *d. c. 5. n. 9.* quomodo demum veniente die, vel dominium utile translatum, vel ad traditionem agendi facultas vaſallo conceſſa intelligitur; *arg. d. §. 2. l. 213. d. V. S.* licet dominus etiam ante diei adventum, vaſallo quoque invito, feudum tradere, atque ſic inveſtituram quaſi purificare poſſit, *arg. l. 50. ff. d. Obl. & A. l. 38. §. 16. d. V. O. l. 70. l. 98. §. 4. ff. d. ſolut.* Don. *ad l. 41. ff. d. V. O. n. 46.* Hæc verò; quando feudum in futurum aliquem eventum, ſi ſcilicet factum aliquod fuerit, vel non, conceditur, quo caſu, exiſtente demum conditione, inveſtitura ſuos effectus ſortitur, *d. t. 2. f. 35. §. 4. Inſtit. d. V. O.* Vult. *lib. 1. cap. 7. n. 61.* Conditionem autem licitam & poſſibilem eſſe oportet, *arg. l. 31. de O. & A.*

O. & A. l. 7. ff. de V. O. ex quarum censu nos neque illam eximimus, quando e. gr. aliquis de feudo vasalli adhuc viventis, in casum mortis ejusdem investitur, (vocatur feudum expectantiæ, feudum super ex cadentiâ, investitura de caducitate, vulgò ein Gnadenlehn / die Anwartung. Berlich. *p. 2. concl. 54. n. 2. & 3.*) modò illud feudum tale sit, quod vasallo possessore mortuo, ad dominum est reversurum *1. f. 3. pr. 1. f. 9. 1. f. 27. §. si quis. 2. f. 26. §. moribus. 2. 1. f. 35.* Hart. Pistor. *part. 2. quæst. 25.* Zas. *p. 6. n. 19.* Schrad. *p. 3. c. 2. n. 16. & seq.* Gail. *2. obs. 155.* Berlich. *d. concl. 54. n. 1. & 7.* So einer der letzte seines Namens und Stammes ist / kan oder mag dessen Lehn von dem Lehnherrn außgebeten / und einem andern die Anwartung vergönnet werden. Schultz. *cap. 9. memb. 1. n. 46.* neque tamen hujus, vasalli scil. possidentis, consensus, ad ejusmodi investituræ validitatem requiritur; *2. f. 35.* Carpzov. *in Jurispr. forens. p. Const. 45. def. 1.*

XXIII.

Tandem, Investitura alia est singularis, alia simultanea.

Carpzov. *disp. feud. 6. thes. 47.* Singularis quid sit, tum ex ante dictis, tum ex jam dicendis satis constat, & sc. quando unus investitur: simultanea verò dicitur, quâ plures de uno eodemque feudo simul & communiter investiuntur. *Idem. ibid.* Et quamvis in jure etiam feudali communi, mentio fiat simul & communiter investitorum, *1. f. 1. §. 2. ib. quod et si communiter acceperint. 2. f. 12. pr. 2. f. 18.* aliam tamen hic intelligimus simultaneam investituram, nimirum, quæ peculiari consvetudine Saxonum introducta, hodieque passim recepta est. Dicitur etiam jus simultaneæ investituræ, Ein Sambtlehn / Mitbelehnung / jus

con-

conjunctæ manus, die gesambte Hand etc. Cũ enim ex juris Saxonici regulâ, (quæ habetur in dem Lehnrecht *c. 21. n. 2.* Es vererbet auch niemand kein lehn auff einen andern ohn der Vater auf den Sohn.) fratres, nedũ ulteriores collaterales in feudo in vicem succedendi facultatem nullam haberent, Hartm. Pistor. *part. 2. quæst. 19. n. 41. 89.* Carpz. *part. 2. const. 45. def. 13. n. 1. & 2.* mores Saxonum aliam invenerunt rationem, quâ non tantùm fratribus & agnatis, verùm etiam personis prorsus extraneis, via ad successionem aperiretur, quæ hæc ipsa simultanea investitura est, quâ dominus feudi cum consensu vasalli possidentis, unum vel plures itidem scientes & volentes de feudo simul investit, ita, ut feudum simul habeant, & sibi in vicem succedant, daß sie zu rechter gesambter Hand belehnet / ein sämptlich Lehn außgebracht vnd erlanget / in sämptlicher belehnung sein / in gesampten Lehn sitzen / etc. Hart. Pistor. *part. 2. quæst. 20. n. 6.* Requiritur verò ad hanc, ut ferè ex descriptione patet, (1) ut possessor feudi consentiat: unde Pistor. *d. qu. in fin. pr.* ait: proprium & quasi de substantiâ simultaneæ investituræ esse, ut ea non inscio, sed consentiente feudi possessore, cum quo simul investiendus est, impetretur. Nam vel ipsa pacti super mutuâ successione facti, naturam sapit, vel certè ejus effectus est, Pist. *d. loc. n. 2.* Mod. Pist. *in Consil. ad calcem d. quæst. 20. adiecto. n. 22.* quo ipso ab illâ conditionalis investituræ specie, de quâ *in fine th. præced.* actum, differt; ut quæ in vito, imò inscio quoque possessore, fieri possit, *d. §. moribus in fin. 2. f. 26.* & ibi Alvarott. *n. 3. 1. f. 27. 2. f. 35.* (2) oportet etiam simultaneè investiendos consentire; *arg. 2. f. 23. §. huius autem. junct. l. 69. d. R. I. l. 19. §. 2. ff. de donat.* (3) cùm hæc investituræ species, communi feudorum juri incognita, & speciali Saxonum consvetudine introducta sit, necesse etiam est, ut secundum specialem

cialem cujuslibet loci ritum fiat. (4) fieri quoque debet simultaneè, hoc est, jis verbis, ex quibus constet, unum vel plures simultaneè esse investitos, ex. gr. wir belehnen N. & N. zum mitbehuff/ zu gesambter Hand etc. Vid. Schultz. *c. 9. n. 83.*

XXIII.

Post omnes divisiones sequitur caussa investituræ efficiens: possunt autem omnes facere investituram, qui domini sunt bonorum, & habent legitimam eorum administrationem: ita quoque, omnes investituram possunt accipere, qui specialiter non prohibentur.

Prius patet *ex tit. per quos fiat investitura 2. f. 1. pr.* qui enim liberam habet rerum suarum administrationem, qui jus re suâ utendi, imò & abutendi, quidni & idem habeat jus, sive moralem hanc facultatem, rem suam alteri in feudum concedendi? cum hôc ipso vicissim sibi alterum reddat obligatum ad hoc vel illud (servitia nempe militaria) præstandum vel faciendum. Quicunque enim potest majus, is idem poterit etiam minus, idque usque rectè se habet, modo minus hoc in majori includatur; quemadmodum se habet res, cum dico, potes portare centum pondo; ergo & quinquaginta. Diversum autem longè est, si dixeris, potest ratiocinari, ergo & volare, hoc enim, licet minus aliquid sit, in illo tamen ceu majori non includitur. Stante jam hoc nostro principio, quod ex textu feudali desumsimus, statim inferre licet, quinam investire queant, qui non: major enim in syllogismo talis erit: Qui

habet

habet legitimè bonorum ſuorum adminiſtrationem, ille poteſt inveſtire; jam dico in minori: atqui talem habet è perſonis Eccleſiaſticis Papa Romanus; in ſuis namque provinciis â Monarchicâ poteſtate parum abeſt, quin & in Eccleſiâ Romanâ, imò universâ, regnum ſibi arrogat; unde hodie, non tantùm de rebus proprijs, *arg. 2. f. 35.* ſed & præfecturis, ſeu dignitatibus Eccleſiaſticis, archiepiſcopatibus, epiſcopatibus, & alijs feudis Papalibus, quorum collatio olim ad ſolum ſpectabat Imperatorem *c. Hadrianus. 22. can. ſeq. can. cum longè. 25. diſt. 63. c. hinc eſt. 39. cauſ. 16. q. 1. arg. Nov. 6. Nov. 25. Nov. 123. auth. presbyterum inf. l. 31. C. d. Epiſc. & Cleric.* imò etiam aliarum Eccleſiarum rebus inveſtituram facit. *c. ad Apoſtolica 2. de ſent. & re jud. in 6. c. 17. c. 21. cauſ. 9. q. 3. c. licet 2. d. præbend. & dign. in 6.* inſuper talem inveſtiendi poteſtatem habent etiam reliqui clerici, ut Archiepiſcopi, Epiſcopi, ſicut & Prælati, Abbates, Abbatiſſæ, & Præpoſiti, *1. f. 1. pr. 1. f. 6. pr. 2. f. 35. 2. f. 91.* Clar. *lib. 4. §. feudum, qu. 13.* cum diſtinctione tamen, quæ habetur, *1. f. 6. pr. & 2. f. 35.* E laicis verò Imperator Romanus, in quibus ſc. capitulatione aut receſſibus imperij ejus poteſtas, non eſt reſtricta, Electores, Archiduces, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, imò reliqui omnes, adeoque & ruſtici ejuſmodi habent adminiſtrationem, *arg. d. text. 2. f. 3. pr. 2. f. 34. §. ſimiliter* Schrad. *p. 4. c. 1. n. 57.* Ergo poterunt inveſtire *1. f. 1. 2. f. 10.* Vlterius progredior; liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habere poteſt non ſolùm mas, ſed & fœmina, ergò & eadem poterit inveſtire, niſi ſpeciali alicujus loci conſvetudine excludatur, quo facit, *§. fœmin. 2. f. 3.* Addimus legitimam, uti textus citatus quoque loquitur, *verbo qui legitimè.* Neque enim ſtatim, qui dominus rei eſt, legitimam, ſive à legibus ſibi conceſſam habet adminiſtrationem, nec con-

trà, qui administrationem habet, statim est dominus. Sic etiam fit, ut qui dominus est, alienare aliquando nequeat, & contrà, qui rem rectè alienat, dominus non sit, *r. t. Inst. quib. alien. licet.* Iam cùm pupilli, prodigi, furiosi, legitimam administrationem non habeant, nec alienare possint, *l. 6. ff. d. V. O. l. 1. ff. d. minor. t. t. ff. d. reb. eor. qui sub tut. t. t. ff. d. curat. fur.* neq; etiam investire de feudo, scilicet novo, poterunt, *2. f. 3. pr. vers. qui eum. & ibi Dd. arg. t. t. ff. d. reb. eor: qui sub tut. & t. t. ff. d. curat. fur.* Cont. *method. d. feud. cap. d. his qui feudum dare poss. ante finem.* Intrigl. *quæst. 53. n. 246.* Schrad. *part. 4. c. 1. n. 60. 62. & 65.* Par ratio est minorum, quibus curator est, item, tutorum, procuratorum, etiam generale mandatum cum liberâ habentium. Et in universum, qui alienare nequit, idem non poterit investire. Investitura enim sive in feudum datio, species est alienationis, *arg. l. fin. ibi: usufructus datione, C. d. reb. alien. nō alien. junct. 2. f. 13. §. huius autem.* Sichard. *ad d. l. ult. C. d. reb. alien. non alien. n. 6.* Iam autem, negato genere, negantur omnes species; quemadmodum negato animali, negatur homo. Posterius membrum patet, *ex 2. f. 3. §. persona vero.* major igitur iterum talis est: Quicunque specialiter prohibentur ji non possunt investiri, jam subsumo: atqui, mutus surdus, & si qui alij, ita se habent. *2. f. 36.* Ergo. Sed cùm hæc materia non tam investituræ propria sit, quàm doctrinæ feudorum in genere, nolumus eam latiùs hîc pertractare.

XXV.

Objectum investituræ, sive materia circa quam, sunt res soli, immobiles, aut solo cohærentes, & quæ inter immobiles connumerantur, modò commercio hominum non sint exemtæ.

Text. 2. f. 1. §. ult. 2. f. 23. §. huius autem. Sonsbec. *p. 8. n. 2.* Eadem enim res, quæ feudi, investituræ etiam est objectum. Obrecht. *disp. 8. th. 53.* Rebus immobilibus connumerari solent, (quas vocant, æquipollentes) pensiones de camerâ, de cavenâ, *d. t. 2. f. 1. §. sciendum.* Hujusmodi etiam sunt, annui reditus perpetui, *2. f. 20. pr.* qui in jure nostro vocantur panes civiles, *l. ult. §. 2. C. d. iur. dot.* annonæ civiles. *lib. 14. pr. C. d. S. S. Eccles. Nov. 7. pr. vers. vult enim.* res civiles. *l. ult. Cod. d. petit. bon. subl.* Investitura autem, quæ de ejusmodi re, mobili quidem naturâ suâ, immobilibus tamen annumerari solitâ, fit, feudum proprium non constituit, sed degenerans, sive improprium, uti Finckelthaus. loquitur & concedit, *disp. 1. contr. 3.* Iam autem notum est, id quod impropriè tale est, verè tale non esse, quemadmodũ Herodem, cùm impropriè vulpes dicatur, veram vulpem non esse, sequitur. Quod si ergo rei imobilis feudũ verè tale non est; rectè dicimus, de substantiâ feudi (veri sc., de hoc enim nobis potissimùm est sermo) esse, ut sit de re imobili; quod dum negat Finckelth. falli nobis, neque ejusdem rationes hoc probare videntur. Primam desumit, *ex text. 2. f. 25. ibid: vel nummos in feudum &c.* Sed sensus textus illius non hic est, quòd nummi in feudum dentur, ita ut investituræ fiant objectum; sed hoc modo in feudum dantur, ut sint medium, per quod tu feudum rei immobilis queas comparare; quemadmodúm rectè dicere possumus, nummos in locationem-conductionem dari, hoc sensu, ut hanc vel aliam rem iisdem tibi queas conducere; nummus enim communis quasi sponsor est. *Arist. 1. Pol. 6. & 5. Eth. 8. Vid. &.* Arum. *disp. feud. 4. th. 3.* Neque secunda ratio, petita, *ex. 2. f. 20. ibid: aut quâlibet aliâ re.* hoc evincit: Verba enim hæc non generaliter, sed pro subjectâ materiâ sunt intelligenda, quemadmodum, cum dico: dabo mutuo centum, vel

quamlibet aliam rem, nemo jurisperitus hinc inferet, rem etiam non fungibilem posse dari, sed aliam quamvis, licet sub hac specie, sc. fungibili. Tertia ratio, quæ potissima videri possit, hæc est, quod scilicet forma investituræ in re mobili constitui possit: sed & ipsa nihil probat; etenim (1) ipsa forma totum esse rei non absolvit; (2) licet concederetur, compositi alicujus esse in formâ consistere, nihilominus tamen ea ordinem ad materiam includeret, ut ita ista veterum quorundam Philosophorum opinio Finckelthausio nihil patrocinetur; tum quia illi etiam materiæ habendam volunt rationem; tum quia de corpore physico loquuntur, nos verò de accidente. Dicimus itaque, formam feudi constituti fidelitatem quidem esse, non tamen quamlibet, sed quæ præstatur pro concesso dominio utili rei immobilis, quæ materia est hujus contractûs, non quidem ex quâ, cùm accidens sit, sed circa quam. Fidelitas itaq; in se considerata, ipsum esse feudi non absolvit, sed ea demum, quæ pro dominio utili rei immobilis præstatur. Quarta ratio prorsus nulla est; omne quidem feudum ita se habet, ut, cui concessum est, utile sit, non tamen simpliciter convertere licet, cui quid utile est, idipsum etiam est feudum, aliàs enim & usus & ususfructus, & servitutes aliæ feudum forent, à quo tamen longè differunt. Ad reliquas respondere operæ precium esse non ducimus, cùm ponderis nil quidquam habere videantur. Vid. Arum. *loc. cit.* Rittersh. *part. feud. cap. 7. q. 2.* Sonsbec. *part. 2. n. 25.* Crassius autem illi errant, quorum ductum VVesembec. sequitur, *tr. d. feud. c. 8. n. 12.* qui investituræ materiam dicunt literas seu instrumentum esse; sive enim veram, sive abusivam, sive quamcunque aliam intellexeris, falsum erit. Sunt enim ejusmodi literæ aliquando saltem medium peragendæ investituræ, aut per-

actæ testimonium. Ea, contrà, res objectum investituræ est, in quâ dominium utile alicui conceditur

XXVI.

Nunc de formâ Investituræ; quam secundum definitionis nostræ ductum, consistere in eo dicimus, quòd dominus vasallo fidelitatem promittenti feudum testatò cedat.

Vt alibi, ita & in hâc Investituræ materiâ, notanda veniunt tam essentialia, quàm naturalia. Dici verò essentialia illa poterunt, quæ in primo ipsius rei conceptu involuuntur, quemadmodum in conceptu hominis animal. Naturalia verò, quælicèt in conceptu ipso rei primo haut involuuntur, regulariter tamen investituræ insunt, etiamsi expresse non adjiciantur. Illa nequaquam; *arg. l. 2. §. sed si quis. 3. ff. ad exhib. l. 27. ff. d. R. I.* Duar. *d. feud. cap. 2. n. 3.* Sonsbec. *part. 2. n. 33. & seq.* Cujac. *præfat. feud. in fin.* hæc verò, nisi sint inseparabilia, benè per pacta adjecta mutari queunt; quæ pacta, cùm non insint contractibus, nisi adjiciantur, accidentalia sive conventionalia eorundem dici solent, *arg. l. 72. ff. de contr. emt.* Vid. Frantzk. *ad d. tit. n. 317. & seqq.* Vnde etiam rectè investituræ forma alia essentialis, alia accidentalis, sive, hujus contractûs alia substantialia, alia accidentalia esse dicuntur. Sunt verò essentialia investituræ, vel ex loci alicujus & curiæ speciali, vel ex generali feudorum consuetudine. De illis alibi. Horum, (quibus non adhibitis investitura ipso jure nulla est) tria sunt, (1) quòd Dominus feudum cedat (2) quòd faciat hoc testatò (3) quòd cedat vasallo fidelitatem promittenti, *2. f. 7. §. ult. 1. f. 26. pr. versic. testes verò. 2. f. 2. pr. 2. f. 19. 32. &*

33. pr

33.pr. vers. nec dicatur. l. 2. ff. d. bonor. poss. fur. inf. mut. fur d. compet. Vid. Schulz. *in synops. cap. 9. n. 15. & seqq.* Giphan. *tr. d. jur. feud. cap. 10. n. 2. & seqq.*

XXVII.

I. est ut dominus cedat.

Quæ cessio verbalis feudi dicitur, non quòd verba ad investituræ substantiam pertineant, aut uti conditio sine quâ non, se habeant; hunc enim contractum à numero verbalium jam supra, *th. 13.* exclusimus, & alioquin mutus investire nequiret, cujus tamen contrarium ab omnibus ferè Feudistis receptum est, *arg. l. 35. §. 2. ff. d. donat. l. 93. §. 1. & 2. ff. d. acquir. hered. l. 48. ff. d. O. & A. l. 124. d. R. I.* Iac. Ardizo. *in summâ. c. 13.* Schneidvv. *epit. feud. p. 3. n. 78.* Intrigl. *quæst. 53. n. 263.* Rosenth. *c. 3. concl. 7. n. 1.* Arum. *disp. 3. th. 27.* sed quòd utplurimùm ea adhibeantur, ut si dominus vel ejus procurator ad hoc constitutus, vasallo, vel ejusdem procuratori, *2. f. 3. §. 1. versic. sed utrum. 2. f. 58. d. not. feud. §. 2. vers. item investitura.* Borcholt. *cap. 7. n. 15.* dicat: ego te investio de hoc prædio, ut illud in feudum habeas, id est, in eo, quod hactenus allodium meũ fuit, feudum tibi constituo. Vid. Bocer. *tr. d. invest. cap. 4. n. 3. 2. f. 2. cap. un.* atque adeò à petitione dominum ad hanc cessionem teneri, dicit VVesemb. *tr. d. feud. cap. 8. n. 10.* ita, ut vasallus ante fidelitatem promittere non cogatur. Et quia hæc verbalis feudi cessio, potissima pars est solennis hujus investituræ, idcirco, in feudorum libris per se, & simpliciter investitura dicitur, *1. f. 3. & 1. f. 4. in pr. 2. f. 3. §. ult. 2. f. 4. & 2. f. 7. in fin.* Bocer. *loc. cit.* atque si habet conjunctam actualem rei traditionem, propriam efficit Investituram, *supra. th. 17. 2. f. 2. pr.* In abusivâ verò, vel hæc sola rem totam absolvit, id quod hodiernâ consvetudine in feudis præsertim minoribus & non regalibus, quotidie obser-

observatur, vel signi alicujus traditio præterea adhibetur. Et quidem regnum per gladium, provincias per vexillum, vel etiam sceptrum, unde nostratibus ein Fahnenlehn/ oder Scepterlehn/ vocatur, Schneidvv. *part. 1. n. 30. et. p. 3. n. 53.* jam olim traditas fuisse, ex Otthone Frising. *libr. 2. cap ult.* & Günthero. Ligur. *lib. 1.* docent Hotom. *disp. feud. cap. 20. 23. & 24.* Arnis. *d. jur. majest. lib. 1. cap. 5. n. 18.* Adhiberi quandoque solet gladius vel hasta, sicuti in non-regalibus annulus & chiroteca, Schoner. *l. 1. disp. 5. th. 23.* atque in Ecclesiasticis baculus, (unde istiusmodi feuda nomen nacta, die Krumbstabeslehn) Vid. Hotom. *d. cap. 20.* VVesembec. *cap. 5. n. 11.* Schrad. *part. 5. cap. 2. n. 1.* Rosenth. *cap. 6. concl. 3. n. 1.* Hodie verò feuda regalia Principibus imperij secularibus per vexilla, sed Ecclesiasticis per sceptrum concedi, dicit jus Saxonicum, Landrecht *lib. 3. artic. 60. in pr.* Arum: *ad. A. B. disc. 3. th. 38.* Schneidvv. *part. 1. n. 30.* quod ipsum ante paucos annos in desvetudinem abijsse, notat Knichen. *d. Sax. non provoc. iur. verb. Ducum. c. 4. n. 55.* Hinc autem apparet investituræ propriæ & abusivæ differentia, quod sc. in illâ rei in feudum concessæ possessio simul transferatur, *2. f. 2.* in hâc verò nequaquam, nisi fortè in rei feudalis præsentiâ ea facta sit; tum etiam, quòd propria totum negotium conficiat, si ab eâ initium fiat, utrâque autem opus sit, si abusivè quis primùm sit investitus; nam adhuc missio in possessionem, vel hujus saltem apprehensio hoc casu desideratur, *2. f. 7. §. 1.* Hartm. Hartmanni *lib. 2. obs. 6. n. 1. & obs. seq. n. 3. & 4.* Vid. Schrad. *p. 5. cap. 3. n. fin.*

XXIIX.

II. Vt cedat testatò.

Investitura etenim sine legitimâ testificatione facta non

non valet, ac nulla est, *2. f. 2. in pr. vers. alioqui licet alij. 2. f. 32. in pr.* Est autem hæc testificatio, solennitas adhibendi investituræ negotio vel testes, vel instrumentum, probandæ investituræ caussâ, observanda, ut describit Bocerus, *intr. de invest. cap. 4. n. 50.* Vnde patet, testificationis investituræ species esse duas: testium adhibitionem, & instrumenti confectionem. Testes hi, ex jure feudali communi, debent esse (1) homines liberi, *2. f. 58. §. 1. vers. alioqui* (2) masculi: *2. f. 32. in f.* (3) pares curiæ, seu curtis. *1. f. 11.* Dicuntur verò tales, convasalli ejusdem Domini, in eodem territorio feudum habentes; *1. f. 26. pr. §. testes verò. 2. f. 2. pr. & §. 1. 2. f. 33. pr. versic. quod autem.* territorio crassè accepto, pro universitate ditionis, quæ specialem habet titulum, & ad unius justam administrationem respicit, quomodo accip. *text. 1. f. 26. in pr:* appellantur aliâs compares, *2. f. 54.* pares domus, *1. f. 11. 2. f. 16. in pr.* pares de domo domini, *1. f. 26. §. si quis 1.* unde curia, curtis & domus domini idem significant, territorium scilicet, in quò dominus feudi jurisdictionem exercet. Pares verò dicuntur, non quòd pares sint domino, sed quod pares sint inter se, respectu ejusdem curiæ, Duar. *d. feud. c. 7. n. 3.* vel quòd pariter, & æquali jure feuda à domino teneant in eâdem curiâ, VVesemb. *tr. d. feud. c. 17. n. 3.* Etsi verò in reliquis negotiis omnes adhiberi possint, qui non prohibentur, *l. 1. ff. d. test.* secus tamen est in investiturâ & quidem novâ, ad quàm probandam soli pares curiæ adeò necessarij sunt, ut si alij extranei, & mille quidem advocentur, investitura tamen inutiliter facta dicatur; atque ita non probationis solùm, sed substantiæ, & solennitatis gratiâ adhibentur, VVesemb. *cap. 8. n. 14.* Duar. *cap. 7. n. 3.* Rittersh. *cap. 9. q. 2.* Schrad. *p. 5. cap. 3. n. 9.* Vult. *d. feud. cap. 7. n. 25.* & ratio hujus assertionis est, *in 2. f. 56.*

§.item sciendum.2.vers.idcirco. ne sc. quid excogitetur falsitatis in perniciem domini, alijs testibus inductis, corruptis fortè pecuniâ, vel odio, vel gratiâ, quæ non sunt suspicanda in paribus, cùm ob juramentum ab iis præstitum, tum ob beneficium suum, quod habent à domino, ut ad hunc locum notat Gothofr. *in not.* Intrig. *quæst.56. n.4. & seqq.* Borcholt. *c.7. n. 26. vers. ideò autem.* Non tamen omnes vocandi sunt, sed duo sufficiunt, *2.f.2.2.f.58. §.1. in pr. arg. l.12. ff. d. test. c. cum esses. 10. x. d. testam.* qui si forsan absint, exspectari & citari debent, interposito ad unam quamque citationem spacio, pro arbitrio tamen judicis determinando. Schultz: *in synops. cap.9. n. 21. & seq.* Quod si verò contingat, vocatos venire detrectare, & contumaciter emanere, tunc mulctâ indictâ, pænalique judicio cogi possunt à Domino, *arg. l. un. ff. si quis ius dicent. non obtemp.* Schenck. Baro. *ad 2.f. 2. n. 6.* Quamquam hoc in casu etiam extraneos adhiberi posse, communi Doctorum calculo receptum est, sicuti etiam in parium defectu illi admittuntur, *cap. un. §. 1. 2.f.2. cap. un. pr. vers. quod autem. 2.f. 33. c. unic. §. 2.f. 58.* Schrad. *tr. feud. part. 5. cap. 2. n. 11.* Intrigl. *q. 56. n. 10. seqq.* Vult. *1. cap. 7. n. 27. & seqq.* Borch. *cap. 7. rubr. d. invest. n. 26.* Motz. *d. feud. substan. n 63.* Quod alteram, testificationis investituræ, speciem attinet; est id instrumentum publicum, investituræ negotium continens, testium subscriptione munitum, quod aliàs breve testatum, *1. f. 2. §. 1 | 1. f. | 3. 2. f. 32. 2. f. | 2. & 25. §. ult.* publicum instrumentum, *2.f. 2. pr.* nobis, der Lehnbrieff, vocatur. De hoc non immeritò quærunt, an, ut adhibitio parium, ita etiam scriptura investituræ substantiam concernat? quod pernegamus cum VVesemb. *tr. d. feud. c. 8. n 31.* Sonsbec. *part. 9. n. 23.* nisi forsan, ut in scripturam redigatur, convenerit, quo casu eam omninò requiri concedimus,

dimus, *arg. §.1. Inst. d. emt. vend. l. 17. C. d. fide instrum.* Motz. *d. feud. subst. n. 63.* Interim tamen, cùm in probationibus maximum pondus habeat, & in oblatis difficultatibus ad ejus tenorem perpetuò recurratur, multumq; ad dirimendas controversias eam confecisse conducat, ex usu hodierno in plerisq; curiis observatur, Vult. *cap. 7. n. 42.* Besold. *thes. pract. voce,* Lehnbrieff. Atq; hæc scriptura ex communi usu loquendi, nomen investituræ accepit metonymicè, & sufficit hodiè, si illa sigillo vel subscriptione domini tantùm sit munita, ut monet Vultejus, *cap. 7. n. 42.*

XXIX.

III. Vt cedat vasallo fidelitatem promittenti.

Præterquam enim, quòd feudum â fide sit appellatum, feudi etiam forma specifica in fidelitate, usuifructui rei alicujus immobilis, vel æquipollentis, inhærente, uti supra dictum, consistit, sine quâ nec feudum esse, nec intelligi potest; quod adeò verum est, ut investitura, & fidelitatis præstatio rem arguant esse feudalem, *2. f. 1. §. 1. 2. f. 4. 2. f. 25. 2. f. 2. 2. f. 5.* Quemadmodum & feudo concesso, id semper sub eâ conditione concessum intelligitur, si vasallus fidelis erit; propter fidelitatem enim feudum regulariter datur, *2. f. 3.* ùnde etiam vasalli dicuntur fideles, *1. f. 1. §. 1. & 2. 1. f. 4. pr & §. 5. 1. f. 5. pr. 2. f. 19. cap. ult. x. d. pœnis.* Sumitur autem fidelitas variè; aliquando denotat ipsam feudi formam specificam, quæ est mutua fidei obligatio inter dominum & vasallum, in auxilio & consilio potissimùm consistens. *2. f. 23. in f.* Deinde, significat etiam juramentum fidelitatis, *2. f. 5. 6.* quòd regulariter fidelitas, in priori acceptione, â vasallo investiendo, interveniente juramento promittatur, *2. f. 7. pr. 2. f. 3. §. 1. in fin.* quod etiam homagium, hominium

& vasallagium, der Lehneydt/Lehnspflicht/ vocatur. Simile fidelitatis sacramentum etiam alibi usum habet, & præstari solet, idq; (1) ratione officij, & domesticitatis, quod principũ consiliarij, aliiq; aulici ratione officij sui tenentur præstare, Dienst-oder Ambtspflicht: (2) ratione subjectionis, quod subditi domino territorij, sub quo domicilium habent, præstant, *c.33, dist.63.* Die Landshuldigung / Erbhuldigung. Est autem, inter vasallagium & hocce homagiũ, magna differentia; nam (1) homagium obligat ratione personæ; juramentum verò fidelitatis solùm ratione rei in feudum concessæ. (2.) Homagium continet verbum subjectionis, quod tamen nõ continetur in juramento fidelitatis. Arum. *vol.2. disc. Acad.26.§.69.* unde feudalis hæc fidelitas Domino præstita, subditum non efficit, Myns. *cent.3. obs.30.* Rosenth. *c.11. concl.14.n.2.* Paurm. *d. Iurisdict. c.8. n.42.* (3) Homagium non offerri debet nisi exigatur; juramentum verò fidelitatis mortuo domino, successori ejus intra annũ, & mensem vel diem, quo sc. renovatio investituræ petenda, *2.f.40. 2.f.53, §.3.2.f.24.2.f.55. inf. pr.* offerendum est, nisi quis velit illo beneficio privari, *Vid. d.* hâc re, Matth. Steph. *d. jurisd. l.2, c.7. n 22. seqq.* Besold. *th. pract. verb.* Huldigung/ *& verb.* Lehnspflicht. Patet quoq; intrinseca forma fidelitatis vasalliticæ, quæ consistit in omnibus iis, quæ à vasallo ratione feudi requiri solent, & ad sex præcipuè à feudistâ, *2.f.6.* referuntur: nimirum ad incolume, tutũ, honestum, utile, facile, possibile, quibus Dd. attestante Vultejo, *c.7. n.40.* addunt consilium & auxilium. Est verò hæc fidelitas, vel jurata vel non jurata. Et licèt una saltem sit fidelitas, quæ à feudo salva ipsius substantiâ separari haud potest; cùm tamen istius præstatio duplici perficiatur modo, vel simplici promissione, vel jure-jurando, ideò hi modi duplicem constituunt fidelitatem, juratam & non juratam, *2.f.2. inf. 2.f.47. inf. 2.f.*

7.2.f.

7. 2. f. 24. §. 1. 2. f. 76. Illa est, quâ vasallus sacramentali promissione ad fidem, & quæ sub hâc intelliguntur, præstandã domino sese obligat, die Lehnpflicht. Etsi verò utplurimùm & ferè regulariter, jure-jurando fidelitas promitti soleat, certum tamen est, quod hic modus interdum remitti possit, uti clarum est *ex 2. f. 3. & 2. f. 24.* quia tantùm naturale feudi est, unde pacto alterari potest. Et talis vasallus, cui hoc juramentũ est remissum, dicitur vasallus per nõ sacramentum, *2. f. 47.* & feudum hoc modo constitutum à Doctoribus feudisticis injurabile vocatur. Notandum; cùm alia atque alia feudi conditio sit, solere Principum, aliorumque Dominorũ consiliarios, pro conditione feudi, vasallis formam fidelitatis præscribere, Bocer. *tr. d. invest. n. 21. c. 4.* Præstat verò hoc fidelitatis juramentum, vasallus sive ejus procurator, *2. f. 3. §. 1. vers. sed utrum, 2. f. 58. §. 2. vers. item investitura, ubi feudist.* Rosenth. *c. 9. concl. 37. n. 5.* Clar. *quæst. 49. n. 15.* (quo ipso quoq; ab homagio sive subjectionis juramento differt, id enim personaliter præstandum est, Knich. *d. iur. territ. c. 3. n. 247. & sequ.* Rosenth. *d. concl. 115. c, & concl. 85. n. 8.*) modo speciali ad illud mandato instructus sit, *c. fin. x. d. jur. calumn. in 6. l. 17. in fin. l. 34. §. 1. ff. jureiur.* Hartm. Pistor. *p. 2. q. 47. n. 58.* Schrad. *part. 6. c. 4. n. 35.* & tunc non in suam sed principalis sui animam jurat, qualis juramenti formula refertur à Schneidvv. *epit. p. 5. n. 89. &* Carpzov. *disp. feud. 6. th. 29.*

XXX.

Investituræ adjici solent varia pacta, quæ formam ejusdem accidentalem faciunt. Sunt eã vel honesta & licita, vel illicita.

Quod alijs omnibus ferè contractibus, idem etiam huic accidit, ut naturalia ejus, pactis quandoq; ex conven-

tione

tione partium adjectis, alterentur, *arg. l. 7. §. 5. ff. d. pact. l. 72. ff. d. contr. emt.* quæ & pactiones. *2. f. 107,* tenor investituræ. *2. f. 2. §. 1. vers. praterea*, dicuntur, Licita quidẽ adjici solent (1) circa servitiorum præstationem, si ea determinentur, & quæ, qualia, ac quando sint præstanda expresse dicatur: ex. gr. ut vasallus diebus festis uxorem Domini comitetur ad templum, *2. f. 2. d. vers. praterea.* ut coram domino citharã ludat, &c. ut nullum prorsus servitium præstetur, quod pactum efficit feudum francum ein Freylehn, Schrad. *p. 2. c. 4. n. 6.* (2) circa fidelitatem, ne ea juramento promittatur, *2. f. 3. §. ult. in fin,* ut solus vasallus, non ejus liberi juramentum hoc præstent, Hot. *disp. feud. c. 40.* (3) circa successionem, ut fœminæ *1. f. 1. §. hoc autem.* ut frater fratri, *1. f. 1.* maritus uxori, *1. f. 15.* pater filio, *2. f. 51.* succedat: (4) circa alienationem, ut sine consensu Domini ea fieri possit, *1. f. 13. §. si verum. 2. f. 48.* (5) circa amissionem; ne vasallus ob non petitam investituram feudo cadat. Bald. *1, f. 2.* Illicita verò, vel substantiam feudi evertunt, ut si paciscantur, fidem nullam esse præstandam, investituram sine substantialibus faciendam, feudum in aliã re, quàm immobili vel æquipollente constituendum esse, vel aliàs turpia sint; ex. gr. ne ob feloniam vel ingratitudinem feudum amittatur, ut vasallus ob delictum filij sui feudo privetur, pactum legis commissoriæ. *1. f. 27.* qualia pacta investituram non vitiant, sed pro non adjectis habentur, uti docet Rosenth. *c. 6. concl. 22. n. 3. & 4*, ubi, *ut & concl. 20. 21. & 23. sicut & apud.* Obrecht. *disp. 8. th. 86. & seqq.* plura de hujusmodi pactis videri possunt.

XXXI.

Accedere etiam, quandoque investituræ solet Laudemium, sive Relevium, vulgò, die Lehnwahr/ Handlohn.

Barbara

Barbara hæc esse vocabula facilè constat. Et de eorum origine atq; appellationis ratione videndi sunt Hotom. *in comment. verb. feud.* Calvin. *in Lexic.* Frantzk. *d. laud. c. 1.* Besold. *th. pract. voce* Handlohn. Rosenth. *c. 6. concl. 66. n. 1.* Est autem Laudemium, sive, (quam vocem in materiâ feudorũ frequentiorem dicit Rosenth. *d. l.*) Relevium, certa pecuniæ summa, quam ob in vestituram à Domino factam eidem vasallus, vel ex pacto vel ex consvetudine, præstare tenetur. Rosenth. *d. l.* Id quidem nuspiam jure feudali cautum est; quin potius, hujus dispositione, non prætextu pecuniæ, sed honore & amore domini beneficia feudalia sunt acquirenda, *1 f. 27.* Rosenth. *d. concl. 66. n. 3. & seqq.* & investitura gratis facienda est: Schrad. *part. 6. c. 3. n. 24.* potest tamen idem vel pacto fieri, vel consvetudine introduci, cujusmodi consvetudo in Germania hodie ubiq; ferè viget, daß man auch von Ritterlehngütter Lehnwar giebt zur wiedergabe / vnd wiedererkendniß der gabe vnd wolthaten / so der HErr mit der belehnung dẽ Lehnman beweiset / Schneidvv. *part. 5. n. 61.* Duar. *d. feud. c. 13. in fin.* Ista vero pecunia, non quemadmodum in emphyteusi, quinquagesima pars precij est, *l. fin. C. d. jure emphyt.* sed medietas fructuũ, qui uno anno percipiuntur ex feudo, Matth. de Afflict. *in c. 1. § sed & 28. 2. f. 2. n. 39.* quod tamen in hisce terris non observari solet, allein muß der Lehnman auff der Cantzeley dẽ Lehnbrieff außlösen / vnd nicht dem Herrn / sondern der Cantzeley etzliche gülden geben / welche man pfleget lehnwar zu nennen / Schneidvv. *loc. cit.* Vid. & Besold. *th. pract. d.* voce Handlohn / Knichen. *d. vest. pact. part. 2. c. 4. n. 125. & mult. seqq.* Præstatur autem ex consuetudine locorũm, vel quoties, tam ex parte Domini quàm vasalli, investitura est renovanda, so offt sich ein Lehnfall begibt / so offt die Lehn zu fall kömpt / vel tantùm, quoties mutatió circa personam vasalli contingit. Et solvendum est

Lau-

Laudemium à vasallo Domino, à subvasallo, non mediato, sed immediato, Schrad, *part. 6. c. 3. n. 28.* & sicubi contingat, ut plures casus petendæ investituræ intra annum & diem evenian, tum, nisi vel pactum, vel consuetudo, quid faciendum sit doceat, nos, ne juri feudorum communi nimiùm derogetur, pro unicâ tantùm investitura laudemium posse exigi, & vasallum ad solvendum teneri, cum Schrad. *d. l. n. 26. in fin.* Schoner. *lib. 1. disp. 5. th. 56.* putamus.

XXXII.

Vt autem vasallus à Domino investiatur, id ipsum petere oportet, **er muß die Lehn sinnen/ oder muhten.**

Et quidem (1) vasallus, vel quicunque ejus mandatò petere vult, vel etiam, si plures sint feudi possessores, ex receptâ totius ferè Germaniæ consvetudine Senior, aut cui aliàs id à cæteris injunctum est, & vocari solet, der Lehnträger/ Rittersh. *part. feud. lib. 1. c. 8. n. 25.* Hartm. Pist. *p. 2. q. 47. n. 12. & 58.* Mynf. *cent. 5. obs. 9. n. ult.* Zas. *epit. p. 7. n. 11.* Rosenth. *c. 6. concl. 36. n. 4. lit. d.* investituram petere tenetur, *2. f. 24. pr. 2. f. 40.* Et petenda est (2) sive feudum sit vetus, sive novum; sive Ecclesiasticum, sive seculare; *arg. 1. f. 25. pr.* quinimò; spes etiam feudi petenda est, eo scil. casu, quo plures simultaneè sunt investiti. Hartm. Pist. *p. 2. q. 20. n. 30. & seq.* Zang. *d. except. part. 3. cap. 26. n. 252.* ubi, da die gesambte hand gewöhnlich vnd im gebrauch ist/ das die der gesambten hand folge thun müssen/ ex Schurff. *consf. 16. cent. 1.* refert. Vid. etiam Schultz. *cap. 9. n. 81. 82. & seq.* quamvis hoc controversiâ non carere dicat Pistor. *d. p. 2. q. 31. n. 13.* Hoc ipsum etiam in Marchiâ receptum esse, casu, quo dominus feudi decessit, testatur Andreas Kohl. *d. sub. feud. p. 3. n. 26.* Petenda est (3) à Domino ejusvè herede; quod

quòd si plures reliquerit, ab uno eorum, quem vel ipsi, vel si convenire nequeant, vasallus elegerit. Hartm. Pistor. *d. p. 2. q. 47. n. 26.* Schrad. *part. 6. c. 3. n. 1. & c. 12.* Petenda est investitura (4) tempore legitimo; hoc vel generale, quotiescunq; casus evenit, i. e. quoties vel domini vel vasalli persona mutata est: *1. f. 22. pr. 2. f. 40. 52.* inde literis investituræ clausula solet inseri, das er der Lehn / so offt dieselbe zufall kompt / gebürliche folge thun solle / vel speciale, quod quidem in novis feudis jure statutum non invenitur, VVesemb. *cap. 8. n. 2.* sed vasallus quandocunq; vult, eam petere potest; ad domini tamen requisitionem venire, & fidelitatis juramentum præstare tenetur: *2. f. 24. §. 1.* in veteris verò renovatione annus & dies, *c. un. pr. 2. f. 24. c. un. pr. 2. f. 40. c. un. pr. vers. præterea 2. f. 55.* quibus textibus, Feudista *in c. un. pr. 2. f. 22.* non contradicit. Est a. hoc tempus ratione initij utile, ratione verò decursus continuum. *2. f. 24. pr. 2. f. 40.* Mynß. *cent. 5. obs. 9. n. 1.* hoc est, à die demum illo, quo vasallus mortem vel domini vel vasalli rescivit, currere incipit, & à domino, vasallo invito, coarctari nequit, *arg. c. indultum 17. d. R. I. in 6.* Petenda est (5) humiliter & devotè *2. f. 23. post. pr.* Petenda est (6) loco etiam congruo, sc. in curiâ domini, nisi pacto vel consvetudine aliud sit introductum. Vid. Obrecht. *disp. feud. 7.* Investitura autē vetus ita à vasallo petita, non statim necessariò à domino est facienda. Documentum tamen factæ petitionis (ein Muthzettel) vasallo dandum, quò js postmodum probare possit, in officio se fuisse, neq; ob neglectam petitionem, feudo se indignum reddidisse.

XXXII.

Finis investituræ, respectu Domini est, ut

 sibi

ſibi habeat obligatum vaſallum, ad præſtandam fidelitatem; reſpectu verò vaſalli, ut ille liberè poſſit feudo uti, frui.

2. f. 23. Nam vaſalli feudis inveſtiri ſolent obſervitia, & quidem indefinita præſtanda; & habet Dominus vaſallum ſibi obligatum non ſolùm ad præſtanda ea, quæ in juramento fidelitatis ſunt comprehenſa, ſed etiam ad conſilium & auxilium *per, text. 2. f. 5. 2. f. 6. & 2. f. 7.* in tantum, ut omnibus ingenij, corporis, & fortunarum viribus Dominum tutari, & adjuvare, tam in bello, quàm in pace teneatur. Econtrà, vaſallus ſe inveſtiri facit, ut apprehensâ tandem rei feudalis poſſeſſione, utile dominium ſibi acquirat, & liberam utendi fruendi feudo, poteſtatem conſequatur *2. f. 8. §. rei autem.* nam tunc habet vaſallus jus & facultatem percipiendi, & ſuos faciendi omnes fructus ex re feudali provenientes, *2. f. 49. 2. f. 28.* idque omni diſtinctione remotâ, ſive naturales ſint, ſive induſtriales; Rittersh. *l. 2. c. 2. qu. 2.* abuſus verò ac diſpoſitio, alienationem importans, omnis eſt prohibita *per text. 2. f. 52. 2. f. 55.*

XXXIII.

Effectus inveſtituræ præcipui duo ſunt: (1) Obligatio, ſive jus ad rem, & (2) inde deſcendens Actio.

Quemadmodum enim ex alijs contractibus bilateris, ita etiam ex hoc uterque, tam dominus, quàm vaſallus, obligantur ſibi ad id, quod alterum alteri, vel ex naturâ contractus, vel ex conventione ſingulari, præſtare juſtum eſt. *arg. §. 5. l. d. loc. cond.* De obligatione, quæ eſt

expa-

ex pactis investituræ adjectis, constare potest ex jis quæ *thes. 30.* dicta sunt.

XXXIV.

Ex naturâ Investituræ, quemadmodum vasallus Domino, ita vicissim Dominus vasallo obligatus est ad fidelitatem.

Hanc enim, uti est finis feudi constituendi, ita & esse formam constituti, supra dictum fuit. Et consistit hæc fidelitas potissimùm in sex capitulis, de quibus, *2. f. 4. 5. 6. & 7.* & commodè ad duo capita possunt revocari, dicendo vasallum Domino, & ad fidelitatem consilij (optimi dandi, & secreti non revelandi, *2. f. 5. 2. f. 7. ibi tutum*) & ad fidelitatem auxilij obligatum esse. Ad auxilium autem, tum obsequium, tum servitij præstatio pertinet. Obsequij ratione, vasallus domino omni tempore, etiam citra specialem requisitionem exhibebit reverentiam, *2. f. 22. & 23.* VVesemb. *cap. 10. n. 14.* hinc licet dominum in jus vocare sine veniâ possit; nequaquam tamen accusare, *2. f. 24. §. 2. ibi: item si delator*, famosam actionem adversus ipsum intentare, VVesemb. *d. c. 10. n. 15.* nec testimonium in eum dicere, neque juramentum calumniæ ab eo exigere potest *arg. l. 34. ff. d. jure-jurando. 2. f. 33. §. 1.* Obligatus quoque inde est vasallus domino ad servitia, *2. f. 26. §. licet. 2. f. 5. 6. & 7.* etiamsi nulla sint in investiturâ expressa, Heig. *p. 1. quæst. 18. n. 15.* vel per se, vel per alium, habilem, & Domino acceptabilem, *2. f. 23. §. fin. 2. f. 26. §. licet. 2. f. 55. §. firmiter, & ibi.* Schenck. *n. 2.* sumtibus domini, feudo scil. ad ea non sufficiente, vel extra territorium, VVurmb. *lib. 1. tit. 51. observ. 31.* Schrad. *pr. 6. cap. 6. n. 14.* præstanda; &

 qui-

quidem adversus omnes, & fratrem, & filium, imò etiam patrem, *2. f. 28.* non tamen contra se ipsum, *arg. cap. si non licet 9. causs. 23. q. 5.* nec Imperatorem, *2. f. 55. §. fin.* nec dominum antiquiorem *d. §. fin. 2. f. 28.* Sicuti neque vasallus tunc domino opem ferre tenetur, si in militiâ injustâ is versetur, *arg. 2. f. 7. ibi. & si scivero. l. 70. §. fin. in f. ff. d. fideiuss. l. 6. §. 3. ff. mandat. cap. qui consentit. 100. caus. 11. q. 3. cap. si res aliena, caus. 14. qu. 6.* Zas. *part. 7. n. 27. & 39.*

XXXV.

Ex naturâ contractus Investituræ, obligatus etiam est dominus vasallo, ad rei infeudatæ traditionem.

Nequaquam enim cum illis sentimus, qui vel possessionem vel dominium, vel etiam utrumque per abusivam investituram, (actualis namque traditio, quæ in propriâ intervenit, facit, ut de illâ aliud dicamus) transferri dicunt: Duar. *cap. 7. n. 6. & alÿ: arg. text. l. in traditionibus. 20. C. d. pact.* & quidem adeò est obligatus dominus, ut præstando interesse sese liberare nequeat; *2. f. 26. §. si facta* ex quo perspicuum fit, quid abusiva Investituræ à feudi promissione differat: nempè (1) promissio præcedit, hæc verò sequitur, & ex promissione feudi nemo in re promissâ jus aliquod consequitur, adeò, nec dici potest vasallus, cùm spem solummodo habeat feudi consequendi: (2.) Promissio consistit in formâ pacti, vel contractus, quo alteri feudum promittitur; hæc verò in forma contractus, quo feudum constituitur.

XXXVI

XXXVI.

Obligatus quoque est dominus vasallo, ad præstandam evictionem.

De hoc autem articulo ita ex Frantzkio, *comment. ad ff. tit. d. Evict. n. 117.* est statuendum. Res aliena in feudum data est, aut ignoranti, aut scienti vasallo: illo casu, dominus omninò tenetur ad interesse, aut ad præstationem alterius rei, ejusdem bonitatis & quantitatis; *cap. un. 2. f. 8. pr. & ibi. gl. 2. f. 25.* hôc verò; interest, an vasallus rem alienam acceperit spe futuræ successionis purè, & sine consensu vasalli, & datio non valet; *arg. 1. f. 3. 1. f. 9. 1. f. 27. §. 1. 1. f. 22. §. 1. 2. f. 26. §. 2.* an verò id non fecerit sub illâ spe, sed opinione feudi aperti, vel alio modo ad dominum reversi, & hoc casu ad evictionem non aliter est obligatus dominus, nisi eam expressâ conventione promiserit, *g. l. in §. si quis. 1. f. 27.* Rosenth. *d. feud. cap. 4. concl. 11.*

XXXVII.

Actio, ex hoc contractu oritur feudalis, quâ vasallus agit adversus dominum, qui abusivam fecit investituram, ad hoc ut se in feudi possessionem realiter introducat.

Actio feudalis in genere dicitur omnis tam realis, quàm personalis, quæ occasione feudi, alicui competit: quomodo etiam illæ, quibus agitur ex promissione feudi ad illud per investituram constituendum, qualis est actio ex testamento, si nimirum in ultimâ aliquâ voluntate

luntate, *§. sed olim. 2. vers. nostra autem, 1. d. leg. ubi gl. in verb. personales. junct. §. 1. verb. hæ mortis causâ, 1. d. donat.* condictio ex canone, si pacto nudo; *cap. 1. & 2. x. d. pact.* condictio ex lege, si pacto legitimo; *l. 35. §. 5. C. d. donat.* ex stipulatu, interveniente stipulatione; *arg. l. 83. §. l. 1. d. d. V. O.* actio ex emto, si per emtionem; *arg. l. 11. ff. d. act. emt.* præscriptis verbis, si dato aliquo, vel facto promissum feudum fuerit; *præscr. verb.* feudales dici possunt: quin reales & personales, quæ ex feudo jam acquisito nascuntur, utilis scilicet rei vendicatio, *2. f. 8. §. rei autem.* Interdicta, &c. hoc nomine veniunt. Hîc verò, in specie, actio feudalis dicitur illa, quæ ex contractu feudali oritur. Quam non cum Dd. condictionem ex moribus esse, sed actionem nominatam, & quidem feudalem dicimus. Etenim, cùm investitura sit contractus nominatus, & utrimque obligatorius, id quod supra, *th. 10. 12. & 14.* probatum fuit, dubitari non debet, quin ex ea actio nominata & bonæ fidei nascatur. Quotiescunque enim vel lex vel consuetudo, novam aliquam introducit conventionem, quæ propter certam, quam habet contrahendi formam, in peculiare contractus nomen transit, contractus iste, prout est nominatus, ita etiam nominatam actionem, non verò ex lege vel moribus condictionem producit, *l. 1. §. fin. de pact. l. 1. & seqq. d. P. V.* Oldendorp. *class. 5. d. beneficiar. action. in pr. quem ibi uti &* Arnold. ab Haersolt, *in adversar. act. part. 7. act. 74. n. 10. & 12. vide.* Nobis enim per temporis angustiam, neque hanc ulterius deducere, neque de reliquis verbum ampliùs addere licet.

FINIS.

